



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



4.
L^a = 8699

~~107. 6.~~

~~196-197-198-199~~

1911

R. 179811

92
C 18
P

De Vita & Rebus gestis
P. PETRI CANISII,
DE SOCIETATE

JESU,
COMMENTARII.

PLC
35221

Serenissimum Principem ac Do-
minum, Dominum

WOLFGANGVM
WILHELMVM

Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, Iu-
liæ, Cliuiæ, & Montium, &c.

AUTHORE

FRANCISCO SACCHINO,

de Societate eadem. Ab Abate del Negri



*Imprimus del Negri
L. de Madrid*



INGOLSTADII,

Ex Officina Ederiana, apud Elisabetham Angermariam.

Anno M. DC. XVI

THE TRI-STATE
STATISTICS

1900

of the State of Illinois

BY JOHN G. BLOW

CHICAGO, ILL.

1900

Handwritten notes:
The State of Illinois
The State of Illinois
The State of Illinois

ANY 23 11 80



SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMI-
NO, DOMINO

Wolfgango Wilhelmo

COMITI PALATINO RHENI, DVCI
BAVARIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ, ET MONTIVM
Comiti in Veldentz, Sponheim, Marchia, Ra-
uenspurg & Mörs, Domino in
Rauenstein, &c.

FRANCISCVS SACCHINVS

E SOCIETATE IESV, S.



*Ellem adesset mihi, Serenissime Prin-
ceps, ingenium & lingua P. Petri Cani-
si, ut quantoperè ille gaudeas suas res
exornari nomine tuo, satis expromere,
& eloqui possem. Fuit profecto ille vir, ut virtutibus
ceteris in plenum instructus, ita boni publici perstu-
diosus, religionis Catholica immensum amans, &
A a propu-*

propugnator vel ultra vires; sitientissimus animarum, cupidissimus bonorum, observantissimus eminentium personarum, & aduersus bene de se meritos admirabiliter gratus. Quae omnia Virum tibi, quemadmodum si mortalis superesset, maxime deuincirent, ita immortalitate beata (quod non dubitamus) perfruentem, summè conciliant. Intuetur enim quantum ex te incrementi commune bonum, quantum casta religio, & animarum publica salus capiat. Principatus publica ornamenta, famulantesque Deo opes, vnaque eximias priuata videt tuae vitae laudes; nec sibi quantum tribuas, non intelligit. Itaque cum in clarissima illa sempiterni diei luce talia contempletur, plurimumque iam Beatorum in Regno possit ac polleat, deamat proculdubio te, per studiosèque tuetur; & aliis super alia cumulat donis, nihilo minus, quàm tu eius quasi disciplina alumnum te profiteris, tibi se probare gestiens Patronum ac Patrem. Igitur sancta eius mentis interpretanti sensum mihi vnus omnium oblati es Tu, Optime Princeps, cuius maxime vellet cum suo nomine consociari nomen, rebusque inde suis firmamentum, ac splendorem adiungi; quo de pluribus posset, pro immensa illa, quae non extincta

morte,

morte, sed aucta immortalitate est, communis boni cura, tanto commilitone, & quasi collega adiuvante, etiam mortuus benemereri. Hac explicare Canisius & dilatare quanta gravitate, ac sanctitate posset? Adderet & mihi argumenti benignitas facultatem, nisi quantum excitat eius praestantia, & ubertas, tantum coërceret modestia tua, cuius extra offensionem lumen illa suum adipisci non possunt. Verum satis opinor ratio constat consilij mei, cur opusculum hoc nomini tuo inscripserim: cetera de Canisio legent homines in his libellis: de te credent oculis suis. Cuius spectaculi fructum diuina bonitas det in tempus quàm longissimum maiore semper cum admiratione, & cumulatione gaudio v-surpare.





AVTOR LECTORI.



Itam PETRICANISII edidit anno priore Matthæus Raderus noster, homo pereruditus, & accuratus, haud vno opere notus seculo. Ceterum, quia in communi Societatis nostræ Romano tabulario alia extabant plurima, quæ nisi à scriptore ipso satis commodè eximi, ac depromi nequirent, ea fuit causa mihi de integro subeundi laboris. Habes igitur, beneuolè Lector, de vita, rebusque gestis maximi eius viri à me Commentariorum libros tres. Placuit per annos describere. Quippe notatio temporum, & veritati munimentum est, & intelligentiæ lumen aduersus confusionem, & præterea subsidio memoriæ. Libri modici sunt, ut requiescas ante fatigationem, & partitionem ipsa res attulit. Namque primus complectitur annos eius vitæ quinque & triginta ante Prouinciatum. Alter quatuordecim, quos in administratione Prouinciæ egit. Postremus reliquos duode-

trigin-

triginta usque ad septimum ac septuagesimum, quo anno est mortuus. Commentarios malui dicere, quod videbar potius collegisse, ac disposuisse cum cura, & fide has res, quàm ad historiæ perfectionem satis illuminasse. Non alienum visum est inferere aut Canisij, aut magnorum virorum interdum epistolas, quamquàm modicè id pro prætermis-
sis, est factum. Nam si præsentium ad præsentès magnam partem ex ingenio assimulatos sermones primi Historicorum in libros suos inculcant: absentium inter se verba si non æquè declamatoria, certè non minus apta, vera etiam nimio magis, cur omninò ipse præterirem, & non nemini ex usu futura obui silentio paterer? Pleraque rerum ex ipsis petita sunt literis in re præsentì scriptis, quarum penes nos sermè autographa, aut exempla exant. Plurimæ earum ipsius manu Canisij scriptæ sunt. Etenim, ut erat vir totus è Præsidum voluntate aptus, sua cum eis omnia candidè, ac diligenter, uti iuebatur, communicabat. Ex qua parendi simplicitate, præter alium multiplicem fructum, duo velut additamenta est consequutus: primùm ut memoria rerum suarum cum sui celebritate nominis plenior ad Posteriores iret, quod nec agebat,
nec

nec pensi habebat. Alterum ut nobis quoque, venturisque seculis præclara eius prudentiæ documenta, & præstantium virtutum exempla commode essent: quod tamen non agebat, ab eius tamē caritate non abhorrebat. Eadem duæ nobis causæ, secundum Numinis gloriam, talia vulgandi fuere: easdemque tibi, optime Lector, esse velim legendi. Vale.



MUTIVS VITELLESQVS.
SOCIETATIS IESV PRÆPOSITVS

Generalis

Cum de vita & rebus gestis P. Petri Canisii de Societate IESV commentarios auctore Præposito Sacchini de Societate eadem, Terciusque Societatis, quibus id commissum fuit, recognoverint; & in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, ut typis mandentur, si ita vis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Roma XXII. Ianuarij. M. DC. XVI.

Mutius Vitellefcus.



DE VITA ET RE- BUS GESTIS

P. PETRI CANISII,
E SOCIETATE IESV.

LIBER PRIMVS.

Petrus Canisius religionis
Catholicæ ingens per Boreales Pro-
uincias in summa temporum diffi-
cultate columen, perque easdem Societatis IESV
propagator, & lumen, doctrina vir, incertum, an
sanctitate maior, aⁿo salutis humanæ M. D. XXI.
ortus est: quo anno beatus Ignatius Loiola, Socie-
tatis IESV parens, ad feueriorem vitam conuersus
ad militiam sacram ab profana transiuit. Archan-
gelorum Principi Michaëli dedicatum diem octa-
uoidus Mariæ natalem sortitus est, nempe vt eun-
dem cœlestium copiarum Ducem ad prælia Do-

B

mini

*Canisius or-
tus. Maij
anno 1521*

Nouiomagi.

Petro Iacobo Canisio.

mini prælianda auspicem, & patronum haberet. Nouiomagum patria fuit, Prouinciæ Geldriæ, quā olim Sicambriam dictam volunt, primaria ciuitas. Parens vterque & diues opum, & splendore generis clarus, & religionis sincero cultu nobilis. Iacobus Canisius Patri, Ægidia Hoonvvingana Matri fuere nomina. Ex vtroque Petrus præclaram indolem hausit. Namque Iacobus eloquentia imprimis, prudentiaque iuris ciuilis, ad hæc morum gravitate, rerumque agendarum industria clauit. Quæ propter ornamenta primum euocatus à Lotharingiæ Duce, qui Geldriæ Ducis sororem habebat in matrimonio, liberorum eius institutioni præfectus, & inter consiliarios cooptatus est. Deinde reuersus in patriam non modò primos Nouiomagi honores meruit, sed pene perpetuum Consulatum gessit. Idem vnus omnium in Prouinciæ conuentibus, legebatur, qui grauissima quæque cum Principibus negotia totius Geldriæ tractaret: interque cætera momenti haud vulgaris rectè administrata munera, præcipuus autor, siue interpres memoratur fuisse foederis sancienti inter Carolum Quintum & Guilielmum Sicambriæ, Cliuiæ, aliarumque circa regionum Principem. Ægidia

dia verò cum Matronalibus aliis dotibus, tū præcipue vti par est, sanctimonia & pietatis exercitatione eminuit. Itaque cum decessit (acerbo enim elata est funere, vnica virili stirpe Petro de quo scribimus, filiaq; vna relicta) nihil habuit, de quo supremis verbis virum grauius admoneret, rogaretque impensius, quàm vt Nouitios errores, qui iam inter Nouiomagenses serpebant, omni ope defugeret; ac religionem Catholicam, sanctâque mordicus teneret. semper autem filios, ac nominatim Petrum singulari studio, nec sine lacymis commẽdare consueuerat Deo, eiusq; curæ, ac tutelæ committere. vt dubitandum minimè sit, quin pias preces & ipsa continuerit in cœlo, & benignè Deus audierit. Ea demortua Iacob. Vendelinâ Vandenberg duxit, quatuorq; ex ea fratres, totidèq; sorores Petro genuit: atq; Othonem, ac Theodoricum in iis, quorum infrâ mentio fiet. Sororẽ habuit ea nouerca religiosam inprimis quæ intra domesticos parietes incorruptam animi, corporisque integritatem, & in omni genere laudabilem vitam ad vltimam vsque senectam obtinuit. Ea pro parente ac Magistra Petro se gessit.

Porro vt administrum ex animi sui sentẽtia di-

*dolum puer
iduis ma-
ni piam.*

uinus Architectus, & opifex sibi formabat ad manam nominis sui commendationem & gloriam, ita puero materiem, atque naturam omnium capacem ornamentorum indidit; & idoneam mox addidit disciplinam. Planè sortitum diceres animam bonam. Elucebat in tenella ætate ingenua modestia, hilaritas verecunda; matura tranquillitas, & quædam præcox gratia pietatis. Nam sæpe interdum noctuque abditum deprehendere in latebra, ac secessu aliquo domus precibus habendis intectum. Sæpe etiam tenerum corpusculum cilicinis vestibus diuexauit, vno Dei spiritu agente, mortalis nullius monitu: vltro inferens arma domestico hosti, prædomansque necdum validum, quo mox rebellare molientem sub iugo, vt assuetum, procliuius cohiberet. *Uit et cor-
culum.* Quin etiam fuit, cum diebus, quos ante Cincres vulgus intemperantiæ operatos habet, assidens mensæ inter domesticos à vino sibi abstinenciam indiceret, reputans secum quàm grauius Maiestas æterna temporis eius ingluuie offenderetur à multis, qui indignissimè sibi ventrem quasi pro Deo constituerent. Igitur iam tum peccatis hominum incitatam placare Numinis irā incipiebat; & confue-

fuescebat aduersus prauos multitudinis ire mo-
res. Ludicra eius, & oblectamenta Templum erant,
& diuinæ res: inter æquales Sacerdotis personam
frequenter agere, imitari psallentes, sacrificantes, <sup>imitator san-
cerdotis, &
concionator
re.</sup>
precantes; & interdum ad circumfusam puero-
rum coronam concionabundus dicere iucundis-
simè autem ipsis ministrare sacerdotibus, dum sa-
cris operarentur; & aliis interesse, operamque præ-
bere diuini cultus officiis.

Sanctus Domini timor (vt Sapiens de fideli- ^{Eccl. 1. 1.}
bus ait) concreatus ei materno in utero videbatur,
& quasi cœlestis Pædagogus, à Patre cœlesti addi-
tus. Tale enim initium tantæ sapientiæ congrue-
bat. Iam tum puero diuina lux oculos aperuit, vt
præuidere inciperet vndique obiectos humanæ <sup>Præuidet
peccatorum
pericula.</sup>
vitæ laqueos venantium, & quàm pauci eos effu-
giant, singulari enim uero munere. Nam fermè
imbecilla ætas (quæ naturæ deprauatio est) ante
miserè capitur, quàm satis dispicere, ac formidare
laqueos norit, nedum declinare labore. Petrus
autem ita vndique deprehensum se quasi agnum
voraces inter lupos considerans, salubri pauore ta-
ctus, sibiq; diffidens, magno ardore ad Deum con-
fugiebat, vt suam illi cadiutricem manum porrige-

*Postulat de
minum di-
ctum.*

ret. Et quidem cū in S. Stephani, quod princeps Nouiomagi est templum, quondam sacrosanctum Christi corpus prope summum altare supplex adoraret, adfuit lux quædam vberior, adeoq; clarè sub oculos posuit circumdata peccatorū discrimina, & ruinæ occasiones, vt magno angore, & fluctibus lacrymis institerit obsecrare Dominum, vt periclitanti sibi adesset, monstraretq; quam insistere viam deberet, vt saluus euaderet. Quæ deinde Colonię, iam apud aureos Martyres (sanctum Gerconem hodie vocant) degenti frequens redibat cogitatio, & ardens studium, votumque, sæpe enim interioribus incitabatur stimulis, vt percu-peret, atque anxius peteret, vt sibi gratia Dei præ-
ret dux ad certum vitæ cognoscendum ac deligē-
dum genus, quod & ipsi Deo gratum, & salutife-
rum sibi foret: idem quod Propheta, quanquam
non verbis iisdem precans. Vias tuas Domine de-
monstra mihi, & semitas tuas edoce me: & dirige
me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Sal-
uator meus. Hæc indoles, hoc diuinæ gratiæ Ma-
gisterium erat.

*Ann. circiter
15. Coloniæ
edidit.*

Humana verò institutio, ac disciplina puerilis
hæc fuit. Sub annū ætatis quintum decimum, cū
iam

iam nec ingenij culture, nec morum cōmoda esset
 in patria cōmoratio, Cōloniā missus est, vt procul
 à raptoribus horarum bonarū domesticis, & sōda-
 liū corruptela, sub idoneis Magistris vtraq; excole-
 ret, ac perficeret. Plus annis decē mansit Coloniz,
 non tamen sine interiectis subinde peregrinati-
 onibus. Primis annis domicilium apud aureos
 Martyres habuit, in hospitio venerabilis Theologi
 Andrę Barduik. Magistrum autem, ac Patris loco
 diuina prouidentia, quasi Ananiam Paulo præpa-
 rat Sacerdotem haud indifertum, sed eundem *Instituitur
 à Nicolao B.
 schio sanctif-
 simo.*
 probatissima vita Nicolaum Eschium, iis maxime
 deditum studiis, quæ animū ad diuina sustollunt,
 & Theologia mystica continentur. Quo in gene-
 re conscriptas ab eo postea exercitationes quasdā
 Spiritus, cum bona operis, & autoris commenda-
 tione Laurētius Surius euulgauit. Hic & sua spon-
 te ad morum magis, quàm ingeniorū expolitio-
 nem intentus, & inuitatus bonitate adolescentis,
 multò enixius meliorem illam magisterij partem
 ad virtutis cōformationem exequi cœpit. Assidu-
 us lateri adhærebat simul innocentiz custos, si-
 mul perfectionis Euangelicæ sator. Simplici, inte-
 groque pectori, quasi nitidæ membranæ, puræq;
 tabu-

tabulæ dictata inscribebat, atq; decreta Christi. Infusurrabat identidē, atq; ingerebat auribus carmina huiusmodi, *seruire Deo regnare est. Sola salus seruire Deo, sunt cetera fraudes. Si Christū bene scis satis; etsi cetera nescis. Adhæc iubebat quotidie perlegere caput ex diuinis Euāgeliis, & illustrem inde sentētiā, quam eo die meditaretur, memoriaq; deinceps custodiret, excerpere. Aliorum quoque piorum codicum apposita lectione, præcipueque sanctorum hominum exemplis imbuebat. Postremo (quæ certissima est, eademque mollissima, & compendiosissima via docendi) sua ipse vita dies ac noctes illustrem ad quæuis decora præportabat alumno facem. Non aliter, atque facilis cera, ac mollis argilla sequebatur Petrus manum fingentis: sensimque in imaginem pulcherrimam filij Dei figurabatur. Dogmata fidei sanctæ in dies acrius illustrabant mentē, & magnifica spei Christianæ promissa vehementius excitabant; quantumque cælestes illæ virtutes fidei, speique roborabantur, tantum mundi amor ac timor euilescabant: euangelica verò præcepta, & consilia calcar fortius, ac desiderium impensius bonæ menti adūciebant. Vsq; eo, vt non misericordiæ solū, sed*

&

& simplicitatis, ac paupertatis voluntariæ studio *paupertatis amore libros in pauperes distribuit.* nonnunquam bonam librorum partem sacco inclusam in pauperes distribuendam ultro daret. Nempe ex eo detrahens, quod sibi carissimum esset; cum tamen locupletis bibliothecæ amor sapientiæ cupido adolescenti, atque adeo in ea re curiositas, & ostentatiuncula concedi nec sine laude soleat. Vnde intelligere est quem in corporis cultu, cæteraque vita se ferret.

Diligebat eo sensu, verebaturque magistrum, *Mira caritas in magistrum.* nihil vteo carius, nihil eius autoritate grauius haberet. Eius consuetudine & familiaritate contentus, nullum præterea sodalium desiderabat usum. Adeo vix instar omnium erat. Non solum per arcanam Sacramenti confessionem totum illi nudabat animū, sed quotidie solitus exacti erat dici *Quotidie ei conscientiam aperit.* rationē reddere. Quicquid cogitationem subiisset, si quid puerilium ineptiarum incidisset, quicquid quocunque modo visus esset sibi dicto, factove deliquisse per ingenuam bonitatem exponere, ut magister nihilo minus interiorem mentis habitum, quam exteriorem corporis figuram in conspectu habens, pro arbitratu componeret ac penam quoque proleptionum, si visum esset,

C

iniun-

iniungeret. Vbi licet admirari planè raram in puero siue ingenuitatem, siue conscientiae custodiendae solertiam. Namque perfectae virtutis magistri nihil ultra fermè requirunt, quàm vt veræ sapientiae studiosus secum ipse idem accusator, ac iudex exactum recognoscat, & in iudicium vocet diem. Sed Petrus nequaquam ea cura contentus, religiosi Tyronis instar cuncta Institutori candidè aperiebat, vltroque apud eum sui accusatorem agebat, ac paratum ad subeundam quamlibet poenam offerebat, nullo retardatus, vti affolet illa ætas, vel pudore, vel metu. Videretur hæc pueri Canisij laus propemodum incredibilis, nisi ex eiusdem iam senis affirmatione, chirographoque constaret: cumque reliqua deinceps ætate tam aptè congrueret, vt altera alteri testimonio sit. Igitur ex cōspiratione illa seduli præceptoris, obedientisque discipuli factum est, vt quæ facillimè propter imbecillitatē cōsiliij ætas deprauatur primis annis, in ea Petrus & innocentiam perpetuam custodiret, & cum ætatis futurae, tum sanctitatis firmissima poneret fundamenta. Tanti interest pariter cum ingenij docilitate idoneos nancisci Doctores. Cuius magni meriti nunquam postea Canisius desuit summas

*Gratum Deo
de tradito si-
bi bono insti-
tutore. Quæ
& aliis pue-
ris prece-
batur.*

mas Numini grates agere, ad præcarique vt pro indulgentissima sua pietate pueros omnes eodem præuenire vellet munere, vt optima præoccupati doctrina, matureque à turbis, ac periculis mundi semoti discerent salutaria magis, quàm vana sectari, ac recto consilio in studiis literarum versantes sapientia solida ad suam, Ecclesiæque sanctæ utilitatem, atque diuini nominis gloriam informarentur. Hac igitur in schola puer, adolescensque Canisius dubitares vtum in virtute, an literis maiores progressionem haberet, cum in vtrisque haberet maximas; vicissimque se se vtraque studia eo validius adiuuarent, quo sincerius ipsam quoque, literarum disciplinam ad pietatis apparatus, profectumque, atque ad Dei gloriam referebat. Sunt qui tradant etiam solitum inter studendum demortui hominis caluariam in lucubratoria mensa habere propositam, quæ continenter oculis, & animo obuersaretur: aptum sanè inuentum ad percipiendam philosophiam, quæ mortis meditatio defertur, & ad studia vltra mortem dirigenda, extendendaque in omnem æternitatem.

Nec tamē omnino periculis caruit, quibus ab *periculis à seculo.*
 fatana, ab seculo, à domo, ab ipsa deprauatione na-

ne naturæ teneræ hominum mentes excipiuntur. Reuersus aliquando in patriam, vt ætatis feruor accesserat, & aberat fida Præceptoris custodia, paulatim videbatur ad laxiora vergere: & parentes, atque cognati, quo clariora videbant rerum magnarum semina, & maiora futuræ claritatis exordia, cùm præsertim ille stirpis maximus esset, hoc magis ea cōuertere ad humana domus incrementa studebant. Hæc enim in plerisque mortalium prauitas viget, vt ingeniorum præstantissima quæque, ad cœlum suo quasi nutu euolantia pro sordido quæstu, vel inani splendoris vmbra affligere contentur humi, terræque cæno immergere. Sed ex mora productiore quiddam subueritus sagax præceptor, tempestiuè Nouiomagum aduolauit, confirmavitque ita nobilem cœlestis sapientiæ candidatum, vt is & nuptiis, quas optima conditione, & Ecclesiasticis honoribus, quos opimos obtrudebant, remisso nuncio, Coloniamque ex templo reuersus, totam ad Deum curam transferret. In ea cura perseuerans, continenterque proficiens ad ætatis annum vndeuigesimū venit. Quo anno ipsa beato Matthiæ Apostolo sacra luce & perpetuam Deo castimoniam cuius ad eam diem illi-

Nuptias, & honores Ecclesiasticos repudiat.

Virginitatē vovet anno ætatis 19.

illibatum florem conseruauit, illibatumq; deinceps ad extremum vsque retinuit, & tandem auxit in cœlum, religione voti dedicauit: & Philosophiæ spatiis magna nominis sui celebritate in Collegio Montano decursis, in eodem suprema donatus est laurea. Ad ius deinde Ciuile, ac Pontificium cognoscendum, quam uiam ipse institerat, ut eadem per uestigia duceret, ad mouebat, & compellebat Iacobus Pater; ut aliquandiu institutionibus Imperatoriis Coloniae, Pontificiis uero Louanij Petrus nauarit operam.

Sed sacer animus ad diuinam sapientiam toto ingenij, ac uoluntatis impetu ferebatur; eamque potissimum, quæ non modò rapit ad sublimia, diuinisq; luminibus illustrat mentem, sed etiam angustos inter ardores inflamat: quam uoti demonstratum est, Eschius præcipuè profitebatur. Huius ardens sapientiæ studio, si quos usquam audiret in ea præstantes, ad eos uel ex longinquo adire, sermones ut coram conferret, non dubitabat. Aliquot ancillas Christi, quarum sanctitas celebrabatur, in variis cœnobiiis, oppidis, prouinciisque conuenit: sanctisq; eorum colloquiis, ac monitis multum proficiebat. Harum è numero fuit

Deditur Theologia mystica,

*Diminuit co-
gnoscit se pro-
futurum Ec-
clesie.*

quædam in Brabantia, quæ diserte ei prædixit, fore
tempus, cum ille multum Ecclesiæ Dei opera sua
& scriptione commodaret. In oppido verò Arn-
hemio procul Nouiomago duobus millianbus
mēfura gentis, vidua fuit celebris sanctitatis, quæ
cum item à Canisio inuiferetur, ante Societatis
nostræ auditum nomen, afflata diuino Spiritu,
vaticinium ei in hanc sententiam edidit. Tu in-
quit, fili cooptaberis in nouum quendam Sacer-
dotum Ordinem, quem in Ecclesia sua ad refor-
mationem eius, ac multorum salutem parat De-
us. Ego eos per visum vidi, & te ad eos adiungi.
Graues erunt viri, docti, modesti, Deo pleni, & ani-
marum caritate præditi. Bono igitur facis animo,
& spe huiusmodi te sustenta; nam breui à Deo
potieris hoc dono. Ita Deus quod maximè ad opus
delegisset, ac destinasset suum illum famulum
(quod cum plerisque virorum insignium consue-
uisse legimus) non obscuris eidem oraculis præ-
monstrauit. Qui & hæc ipsa iam senior literis cōsi-
gnauit, & de profectu ex notitia & colloquiis reli-
giosarum eiusmodi foeminarum; Deo gratias a-
git his verbis. Non possum hic obliuisci bonarum
sanctarumque mentium quas puer, & adolescens
sum

*Proficit col-
loquiis sa-
ctarum vir-
ginum.*

sum frequenter expertus non sine profectu & consolatione spirituali, cum apud Arnhemienſes, No-
uimagenſes, Buſciduſenſes, Oſteruikenſes, Dic-
ſtenſes, Louanienſes degerem. Laudo, & extollo
nomen ſanctum tuum in ſponſis tuis, iisque virgi-
nibus admirandæ virtutis, & antiquæ ſimplicita-
tis, & probatæ pietatis: quarum monitis, & exem-
plis, imo, & vaticiniis me ſæpius excitare, terrere,
fouere, & impellere voluiſti, vt & tibi propior fie-
rem, & mihi notior, & aliis vtilior, & in via ſpiri-
tus vigilantior eſſem. Credo gratiæ tuæ donum
fuiſſe, cum ego huiusmodi ſeruis tuis, & ancillis e-
lectis adiungerer ſæpe; illis, quam cæteris opulen-
tioribus, ad eſſe malebam: illarum hortationes,
conſilia, preces magnipendebam, cum illis collo-
quia pia miſcebam. Hiſce præſidiis, tamque ſecun-
dis ventis afflantibus belliffimè nauigans, nec
vllis blandientium Sirenium vocibus interpella-
tus, nondum certam ſibi rationem vitæ degendæ,
& quaſi regionem, ad quam curſum dirigeret,
propoſuerat: ſed tantum contemplationis amore
ad ſanctum ocium, & religioſam, qualis Carthu-
ſianorum eſt, propendebat tranquillitatem. Iamq;
non ſpectaculo erit, ſed Academiæ modò: ſed
eti-

*Celebratur
eloquentia
& ardore
contra he-
reticos.*

etiam ciuitati Colonienſi. Exercebatur enim frequenter declamans publicè, vnde & doctrinæ profeſtus, & præcipuè eloquentia, & ardor aduerſus hæreticorum infanas nouitates celebrabantur. Ille priuatim memoratur eximius tanquam præfecundæ ſtirpis fructus adoleſcentis, Laurætium Surium, à quo deinde tanto cum bono publico edita ſunt ingentia illa volumina vitarum Sanctorum, cum Lutheranus error incautum in prima ætate circumueniſſet, Caniſius ingenij ſui, & eloquentiæ ornamentis conciliatum, vnus omnium maximè impulſiſſe dicitur, vt ad Orthodoxos reuerteretur. Interior inde contractus eſt vſus, qui ad extremum vſque Sanctis vitro, citroque & episto-
lis, & aliis cultus officiis permanſit.

*Petrus Faber
Sociorum beati Ignatii
primus, & admi-
nistratur.*

Haſtenus euecto Caniſio nouum diuina pro-
uidentia ſubſidiũ miſit per quod ad Celſiſſimum
Euangelicæ ſapientiæ culmen eueheretur; Petrus
Faber Sociorum beati Ignatii primus, Apoſtolice
Sacerdos indiſtriæ, præclaras per Germaniam, Spi-
ræ maximè, & Moguntia, priuatim, publiceque
gerebat res, egregia viri fama longè, lateque ma-
nante. Duos habebat ſuæ affectas diſciplinæ Colo-
niæ Ioannem Aragonium, & Aluarum Alonſum,
qui

qui Sacerdotio iam præditi, mox in aciem aduersus infesta vitiorum agmina prodituri, literarum in officina tela Spiritus exacuebant. Siue horum ex usu, siue ex ipsius celebritate famæ admiratus Fabrum Canisius, conuenire hominem, atque oculis explorare decreuit, quæ de illo auditione cognorat. Rapti Philosophicas iuniorum mētes laudabilis ardor noscendi viros præstantes. Sed nostrum Petrum haud dubiè vis agebat diuinior, & fortasse illud ipsum, quod nuper ab Arnhemiana vidua demonstrauimus editum ei, vaticinium, extimulabat, vt, cū apparuisse sacerdotū nouum quoddam genus audiret, aueret cognoscere, num is illorum de numero esset, quos sancta vates cecinisset. Vt vt sit, Moguntiam perrexit: conuenit Fabrum: admiratus tantoperè est, vt dubitaret virum ne magis, quem quæsiuerat; an Angelum Domini inuenisset. Suspiciebat diuinarum in illo rerum magnam, profundamq; scientiam: suspiciebat illustres, eminentesque virtutes, eximiam imprimis caritatem, & ardens studiū nihil nisi Christo collaborandi in animarum salutem. Observabat accurate, notabatque cuncta viri facta, dictaque, & obstupescens nullum illi verbum ex ore, D siue

siue in vsu communi, familiarique congressu, siue dum mensæ accumbit, seu publicè, seu priuatim abire, nisi quod Dei laudem ac pietatem sonaret: idque eâ facere sanctitatis, comitatisque prudentia, vt audientibus semper multum emolumenti, nihil molestiæ vnquam, aut satietatis afferret. Hæc autem non curiosè obseruans, sed quo oculo sancti Patres meliorum considerandas virtutes docēt, totus ad imitationem rapiebatur: eaq; omnia sibi pro forma proponēs, ac regula, ad quā vitam deinceps cōponeret, ac dirigeret suam, nihil iam dubitabat, quin hoc demum Sacerdotum esset illud nouorum genus, ad quos ipse ex viduæ sanctæ prædictione deberet adiungi. Nec verò minus Fabrum & sapientia cepit adolescentis, & bonitas. Agglutinantur continuò inter se vtriusque animi; & magister egregius pro nobilitate discantis depromens industriam, ad exactam reconditionis philosophiæ speciem præscriptis à B. Ignatio mentis exercitationibus expolire, perficereque aggreditur. Constat enim ex Ephemeride ipsa Fabri non Coloniz hæc, sed Moguntiz gesta. Tum verò, vbi sancto illo in ocio vacare sibi ac Deo Canisius cepit attentius, instar aridæ materiæ, quæ facilli-

Inuicem
spiritualibus
more iuuat.
1688.

cillimè concipit flammam, ita paulatim animo, sensibusque immutatus est, ita mentem lux coelestis implevit: denique, ita est nouo quodam vigore perfusus, ut & in corpus redundante diuinæ beneficentiæ copia, totus corroborari, totus in alium prorsus hominem transire sibi, ac transfigurari videretur. Itaque vix meditationibus iis perfunctus, vel, ut opinor, nondum omnino perfunctus, ipso die S. Michaëlis, qui tertium & vigesimum illi inchoabat ætatis annum, post maturam deliberationem hæc vota concepit. Primum exemplo se ad Societatis obedientiam transiturum, ac paupertatem Euangelicam, quatenus eiusdem Societatis Præsides statuerent, complexurum. Præterea ad sancta Apostolorum Petri, & Pauli peregrinaturum limina. Postremò nisi Societate recipere-
tur, aliam quamcunque probatæ religionis familiam, quam illa præscriberet, initurum. Hanc formulam scripto excepit (autographum penes nos est) triplicique cruce subsignauit: tum adiecit, Modis omnibus orare se Præsides, ut commo-
rent sese, corripereque, si quando segnem perspi-
cerent: atque ad ea præstanda seuerè compellerent.
2. *Fortè quis admiretur, quod nulla in his votis mē-*

*Societatem
Vener. Anno
1543.*

tio fiat castitatis. Causam putarim, quod virginitatem iam dudum singulari, proprioque voto dedicarat.

Ita institutus, & ad Societatis rudimenta receptus

Coloniam ad diuina studia prosequenda remittitur. Ibi cum Ioanne, Aluaroque supradictis animo, & frequentiore vsu coniunctus, maiore quadam vi ad vtilitates publicas deriuare operam coepit. Ad miserorum leuandas calamitates tam se impensè, profuscque dabant, vt monendi fuerint à Fabro, ardorem vt temperarent, ne præpropere occupatio maioribus bonis officeret, ad quæ studiis eo tempore limandis adornarentur. Canisius autem dum repertum à se bonum communicat, & Fabri laudes deprædicat, facilem illi viam aperuit, ac præmuniuit cum apud alios, tum maximè apud Carthusianos Patres, quorum nobile in primis Cœnobium stat Coloniz. Itaque eius mox aduentu intima inuicem caritate coorta, haud temerè vsquam Societas magis studiosos, magisque liberales amicos, atque adeò patronos habuit. Communicauit & suum gaudium de inita Societate Canisius cum sociis, qui Louanij versabatur, ac nominatim cum Francisco Strada. Eratis

*Turner in in-
mandis pro-
nimis.*

*Societati
gratiam Co-
loniz conce-
dit.*

etate

ætate iuuenis, sed acerrimus venator animarum,
 & præco diuini verbi inter paucos salutaris. Qui
 acceptam à Petro epistolam ad Romanos Socios *Francisci*
 mittendam censuit, cum hoc non elogio magis, *Strada de eo*
 quàm oraculo. Canisius, inquit, benedictissima il- *elogium.*
 la, ac purissima anima literas dedit ad me, quas
 mitto in Urbem, vt agatis gratias Deo tam de sin-
 cero spiritu, tamque electo, & eximio Dei famulo,
 quem seruabat sibi Christus absconditum tan-
 quam triticum electum in magna copia pa-
 learum ad magnam laudem, & gloriam tre-
 mendæ Maiestatis suæ, & amabilis bonitatis. Non
 potuit Canisius in tanta, quam videbatur sibi re-
 perisse, felicitate veteris obliuisci Magistri sui, cui
 se debere omnia profitebatur, eumque ad inuenti
 thesauri non inuitare partem. Cæterum miro De- *Eschium ad*
 us consilio alteri cui dam per eam occasionem a- *Societatem*
 periebat ad Societatem aditum. Quod quemad- *inuitat.*
 modum gestum sit, quia ex confusa memoria pa-
 rum constanter proditur, dilucidè nobis, vereque
 ex eius ætatis commentariis prodendum est pau-
 cis. Degebat Nicolaus hoc tempore hæud Loua-
 nio procul in oppido Diestemio. Igitur literas ad e-
 um Canisius dat, rogatque vt Francisci Stradæ, qui

redditurus eas literas esset, ne grauairetur audire cō-
 filia, & quas exercēdæ mentis vias idē proponeret,
 experiri. Eas literas vbi Nicolaus accepit, & Stra-
 dam vidit hominem tanto se ætate inferiorem, si-
 bi vetusto Magistro superuacaneum putauit im-
 berbis penē adolefcentis subire dictata. Tum Stra-
 da, At certē, inquit, si quem nosti diuinarum re-
 rum studiosum, quī cum agi de Euangelica perfe-
 ctione queat, eum mihi tuo loco vicariū assigna.
 Respondit ille esse Louanij veterem sibi amicum
 Cornelium Vishaucum peregre regium Sacerdotē,
 ac Dei famulum, ad eum sese literas Stradæ ipsi da-
 turum, vti dedit. Quas vbi Strada Cornelio reddi-
 dit, continuo ex eius conspectu eripuit sese. Cor-
 nelius autem mox lectis Nicolai literis, Stradæ q̃;
 incensus noscendi cupidine, tacito Deiparæ ad-
 monitu, quo loco sibi esset ille reperiendus co-
 gnouit: in itaque familiaritate, Societati se penitus
 consecrauit, magno cum suo, tum Louanienfium
 Sociorum bono; quos domum suam recepit. Non
 igitur ad ipsum Cornelium scripsit Canisius, neq;
 condiscipulus eius in vllō genere siue pietatis, siue
 literarum fuit, sed dum Nicolaum suum aduocat,
 is maluit ad obedientiæ iugum vicarium mittere,
 quàm

Illius loco Cor-
 nelius Vishau-
 cum venit,

quàm venire: adeo vocationis religiosæ benefici-
cium singulare est.

Sub hæc Fabro iam, vt in Lusitaniam pergeret, digresso Colonia, Canisius quoq; trepide Nouiomagum accititur, quod Iacobus eius Pater periculosè decumberet. Cōtinuò accurrit, vt quod in se opis, officiiq; esset, tali tempore siue ad valetudinem, siue ad migrationem pius filius bono Parenti exliberet. Sed, vt in ægri conspectum venit, is, siue ex dulcissimi, amantiissimi que filij optatissima præsentia lætitiæ repentinæ obrutus impetu, siue alio perculsus ictu fragilitatis humanæ, exemplo animam exhalauit. Mœstissimus inde Petrus, non tam propterea, quod cui vitam, si posset, redditurus veniebat, attulisse, siue properasse mortem videretur; quàm quod supremum illud æternitatis negotium, ita raptim subitoque sectum esset, dum supplex, ac lachrymans animæ illi diuinam misericordiam implorat, de statu eius hærens, atq; sollicitus præfessim quod succurrebat, quàm multa hominem, quàmque grauiapriuatim, ac publicè implicuissent negotia, placuit diuinæ bonitati consolari pium filium, ostenditq; non Iacobum modo Patrem, sed et olim vitæ perfunctam Regiam

Parentum
saluas ani-
mas diuini-
tus cognoscit.

diam matrem Iustorum in pace requiescere. Et sane Iacobo repentina magis acciderat, quam improvisa migratio. Nam & admodum pie vixerat, & inter cetera pietatis documenta, quibus ad supremam se horam comparauerat, vestimenta sua præcipui splendoris, ac præcij sacerdotibus iusserat adornatum sacrorum attribui. Componēdis iam Petrus tenebatur rebus domesticis, & patrimonij etiam ex Euāgelij præscripto sua parte in vsus pauperum conferenda, cū a Fabro, qui ex Lusitanico itinere Coloniā reuocatus erat, ad maturandū reditū inuitatur. Adfuit ille confestim, malens de pecunia quiduis, quā de obedientia quicquam perire: nec rediit sine Apostolica præda. Quippe tres secum adolescentes adduxit, qui omnes Fabro magistro ad asceticam beati Ignatij normam exerciti, religiosi sese coetibus addidere, nobis vnus, duo Carthusianis. Sed quam rediit Canisius ad Christi crucem, suumque Fabrum lætus, & alacer, tantum propinquis, præcipueque Nouercæ (quam de cetero nihil minus quā Nouercam sibi ipse testatur fuisse) desiderium, ac mœrorem reliquit: quem demum, in Fabrum ac erubius versi, querimoniis, & conuiciis effuderunt: eum

*Res suas in
pauperes
conferre.*

*et ad Fabrum
acceserat.*

eum sibi subsidium domus Canisium ; Canisio mentem, ac facultates eripuisse criminantes. Publica fuit hæc querimonia ubiq; locorum, ac temporum, est que hodie, & erit semper. Tametsi enim Christianos se mortales profitentur, tamen ubi de carorum, ac multò ferè magis de fortunarum distractione, atque amissione agitur, decreta Christi in alienis citius, quàm in suis probant. Usque adeò *quis, & eorum agros defendit.* ducimur, decipimurque oculis: & æternitatis innisa facies parum mouet. Deplorauit hanc peruersitatē Faber in literis, quibus purgare se, & placare foeminam studuit. Testatus enim nihil in suam rem è facultatibus Petri auersum, Paucis curæ est, inquit, quonam anima Magistri Petri perueniat: sed id grauitè, & molestè multi ferunt, si quæ hæreditatio iure illi obuenerunt, alienentur. Dolemus glebam à gleba disiungi, animas verò nostras à suo creditore Deo, cui adhærescere summæ est felicitatis, abstrahi auellique non dolemus. Quanti verò ipsum Canisium faceret, paulò antè demonstrarat his verbis. Ego cùm videam honestissimum, & optimum adolescentem firmissimo spiritus, & amoris glutino mihi coniunctissimum, ac vnum prope mentis, ac voluntatis consensione

E **factum**

factum esse, non possum non ex animo optima quæque illi velle, & peroptare, vsque eo, vt propinquius eius, & consanguineis omnibus quiduis me debere arbitrer.

*Canisij im-
pensâ prima
Societati do-
mus Colonia
conducitur.*

*Canisij im-
pensâ prima
Societati do-
mus Colonia
conducitur.*

Mitigatus non nihil est Nouercæ, ac propin-
quorum Canisij dolor. Nihil tamen illum clamo-
res vlli deterruere, quo minus ad Socios Coloniz
alendos facultatum partem conferret. Itaque do-
mus conductâ est: vnaque simul habitare cœpe-
runt: quotandem Faber in Lusitaniam proficisci
denuò iussus; lætior iter corripuit. Incredibile
nim cum ardebat studio iuuandæ Coloniz, quam
vis videret Canisum, ac Socios (numero circiter
nouem relinquebat) alibi profectus longè maio-
res in studiis æque literarum, ac pietatis facturos,
nolebat tamen eam ciuitatem deferere. Et verò
constantiam illi, & obedientiam egregiè proba-
uerunt. Haud multo enim tempore ab Fabri dis-
cessu, dum ægræ ciuitati quicquid in se opis esset,
ferre contendunt, studiosi rerum nouarum eam
cōsensionem suis conatibus parum commodam
rati, impulere senatum, alia prætexentes nomina,
vt vno domicilio vetaret coniunctos degere. Vi-
debantur cauere, ne nouum Coloniz Religioso-
rum

*Vetat Sena-
tus conium.
Etos degere.*

rum Cœnobium excitaretur. Tum boni Tymone,
 creditam sibi stationem ne desererent, præopta-
 runt triste dissidium: quamquam crebro inuicem
 reuisebant, ac solabantur. Accepere & à Fabro *Fabri episto-*
 consolatorias literas, Vallisoletto datas, nono Iulii *la consolato-*
 die voluentis seculi, anno 456. his verbis. In fascicu- *ria ad desper-*
 lo, quem misistis, fuit quoque epistola, quam Pe- *us Socias.*
 trus olim noster? nunc vero iam, non seu ad mo-
 scripser. Legimus omnes, & relegimus cum maxi-
 mo animorum nescio an dicam moerore, an gau-
 dio. Quis enim non lugeat, quod vobis, qui vnum
 estis, istuc non licuerit in vna domo habitare? Quis
 non fleat, quod vos soli iudicemini indigni vnum
 corpus dici posse, qui vnam animam, & vnum cor
 habere probati estis? Ridet, & dolet spiritus meus,
 cum video vos tolerari separatos, non posse autem
 sustineri unitos, quasi meliores sitis diuisi, quam
 in vnum collecti. Lubens dicerem his, qui vos
 conturbant, aut facite arborem bonam, & fructus
 eius bonos; aut facite eandem malam, & fructus
 eius idem malos. Sed locus non est omni veritati,
 ubi non est locus unitati vestræ. Sit benedictus
 Deus, qui vos in vnum habitare faciet etiam corpo-
 re sanctos; cuique, ut bene speratis, cum, cu-
 E 2 ræ erit

ræ erit dispersiones Israël congregare. In hoc ego
 gaudebo videre constantiam vestram, & gaude-
 bo videns, quod Magister Lambertus istinc nulla
 ratione potuerit auelli, sed sua morte retinuerit
 quotquot in vobis Colonię erant necessarij. Rectè
 enim tenetis mentem meam in eo esse, & fuisse, vt
 nullo modo relinquamus Coloniam, id quod
 optimè coniectârunt Decanus, & facultas Theo-
 logiæ, Magistrum Petrum in aliquot futuros an-
 nos retinendum curantes. Id autem faciunt, quia
 cernunt carneis oculis vtilitatem inde prouentu-
 ram. Vtinam, atque vtinam ipsi quoque cerne-
 rent mentalibus oculis longè magis necessarium,
 & magis vtile, quod plures eiusdem animi, & spi-
 ritus, cuius est Magister Petrus, istic concreverent,
 & in vnum corpus coalescerent. Ego iam pridem
 posthabui studia vestra vtilitati multarum ani-
 marum, sciens multò melius proficere posse in a-
 liis Vniuersitatibus, quam Coloniæ vnumquem-
 que vestrum. Sed illa fuit virtus nimij amoris mei
 erga Coloniam, vt vos periculis exponerem, &
 malletm istic vos indoctos, quam alibi doctissi-
 mos. Vtinam verò hic zelus meus sit secundum
 prudentiam illius, qui filium suum vnigenitum
 dedit

*Fabri erga
 Coloniam in-
 signe studi-
 um.*

dedit in manus peccatorum. Dominus Alvarus nouit hunc nimis fortem amorem meum, idq; ut ipse aliquādo putare videtur, suo magno incommodo. Sed ut iam dixi sic stat sententia animi mei, quod libentius sum auditurus vnumquemq; vestrum, loquor maximè de Magistro Petro, & de Domino Alvaro, mortuum esse, & cum Magistro Lamberto sepultum, quam alibi bene habere. **Hactenus Faber.**

Et sanè deterrima, si vnquam, Coloniae erant tempora, cum Antistes ipse Hermannus VVeda, qui clauum tenebat diuinarum humanarumque rerum, post longam fluctuationem, tandem errorum salo demersus, totam illam secum inclytam nauim in profundum raptatum ibat. Sed breui & fallacia patefacta aduersariorum, & illustrata fortiorum virtute permissi sunt iterum eadem domo coniungi. Metuerant Academici, ne Patres Canisium auocarent, eoque ut Faber modò significabat, literis ad B. Ignatium, & ad P. Nicolaum Bobadillam, qui haud Colonia procul aberat, primo vere anni eius datis, institerant, ne per aliquot annos abduceretur. Sua interesse memorantes corpus Theologorum talibus exornare membris; proque experimento, quod suæ ille, & doctrinæ

*Academici
pro Canisio
retinendo
certant.*

tis non semel ediderat, moram fore cum Academia, tum ciuitati salutarem. Ad hæc honorificum opinor sibi ducebant tantum virum, quantum euasurum videbant, inde totum extitisse, nihilque ulli præterea Academiae debere. Voti compotes ex parte facti sunt, mansitque Colonia Canisius ad exitum usque insequentis anni, paulò plus biennium à Fabri discessu. Hoc tempore diuinæ scientiæ orbe confecto, consecratusque Sacerdos in ipsa

Pic. Sacerdos.

*Concionatur
& literas di-
uinas expla-
nat.*

urbe Coloniae, sacras primitias in Coenobio, cui Nazareth nomen, obtulit. Eodem tempore idem ad populum dicere, idem in Academia alteram ex epistolis B. Pauli ad Timotheum in Collegio verò Mōtano sacra Euangelia explanare. Sub hæc Cyrilli Alexandrini duobus Tom. Opera, & Magni Leonis in vñ collecta corpus recognita abs se, vt prædempta essent contra Hæreticos arma, vulgauit. Alteramque Cyrilli partem Sebastiano Archiepiscopo Moguntino, alteram Theologiæ studiosis nuncupauit. Opera verò Magni Leonis Ioanni Lippienfi Episcopo Cirenēsi Suffraganeo, & Ecclesiastæ primario Colonienfi, à quo credidit ipsum sacris ordinibus initiatum, eoque illius se clericum in epistola nuncupatoria nominare. Cæterum quia

*Edit Cyrilli A-
lexandrini
opera.*

Et S. Leonis.

sancti B. Pauli ad Timotheum in Collegio verò Mōtano

epistola illa inscribitur data Colonia quarto idus
 Septembris anno salutis humanæ 1547. animadu-
 uertendum est, vel erratum in anno, cum esset sex-
 to scribendum, vel diem adscriptum, non quo ab
 autore condita, sed à Typographis edita est: qui &
 ad nouitatis gratiam diutius retinendam, non ra-
 rò tempus in titulis editionum anticipant. Nam
 anni quadragesimi septimi autumno Romæ iam
Canisius erat, uti mox referemus. Quia verò latius
 in dies eius nomen inclarescebat, totque se ille da-
 bat in opera pietatis ampla, atq; magnifica; Patri-
 bus curæ fuit providere, ne quid humanæ glorio-
 læ (ut est illa maximi cuiusque boni callida insidi-
 atrix, ac blanda pomicies) in ea sese decora furtim
 insinuaret. Eoque **Claudius Iaius** nominatim ad
 eum **Vormatia** egregia monita scripsit, admo-
 nens, ut ingenij omnes, & linguæ, ac styli labores
 in Deum sincerò vnum referret, neu se docendi mi-
 nere, dicendique, & scribendi usque eo premi sin-
 ret, ut inde priuata studia pietatis obruerentur, &
 otium precandi, contemplandique deesset officii-
 is: Verùm **S. Thomæ Aquinatis** exemplo actionis
 interio, & contemplationis studia temperaret. Quæ
 monita studium declarant ppius, & sollicitudine

*Monita ad
 eum Claudij
 Iaij.*

Patrum, ad perfectum expoliendi alumni, quam ei necessaria forent, ad optimum sua sponte enixè, rectaq; tendenti. Obtulere tamen hanc ei opportunitatem, ut quod ultro faciebat, impensius curaret admonitus: atque gradum sapientiæ, & felicitatis utrumque consequeretur: tum per se videns quæ oporteret, tum rectè monentibus parens.

*Legatio prima
ma Canisij
Leodij.*

At religio Catholica cum laberetur Coloniae quotidie in deterius Hermanni vitio, domiq; inde esset exitium, unde subsidium expectari debuerat, ad proxima conuersi auxilia Clerus, & Academia consilio, consensuque communi ad Leodiensem Antistitem, & Clerum, qui vnus est Colonienfis Archiepiscopo subiectorum, robur precipitantibus Canisium opem oratum legant. In eo munere dum moræ aliquantum trahit Leodij, quia laboriosorum hominum caritatem procuratio ferè vna nequaquam implet, & inuitabāt eum seriæ Domini natalitiæ, tum Canonici Leodienses, dicere instituit ad populum ea omnium approbatione, suaque tolerantia, ut sæpe diè eodem binas conciones haberet. Legatione perfunctus, Coloniæque incunte septimo & quadragesimo eius seculi

*An. 1547.
Secunda ad
Carolus V.*

seculi anno reuersus, quoniam gesto in munere prudentiam, industriamque probat; iterum eadem super causa ad Cæsarem Carolum V. legatur. Hæc quoq; legatio è sententia cessit, & quidquid petierat, impetrauit: vnde factū præcipuè, vt subinde deiectus è gregis custodia lupo Hermānus, locum cederet vero Pastori Adolfo Schauemburgio. Verū eo minus læta Colonienſibus cecidit, quod ipsum amiserit Canisium. Dū enim ad Cæsarem adit, cum Cardinali Augustano Othone Truchſesio Vornatiæ, Vlmæq; congressus, is vehementer delectatus sapientia iuuenis, cū & Patres maturum iam euocare eum putarēt, ad Concilium, quod eo ipso tempore Tridenti habebatur, Theologum Claudio laio socium misit. Ita, quanquam ægrè ferentibus cunctis bonis, Colonia prorsus discessit; socios optimè animatos, comparatisq; etiam ab se ad multos menses vitæ subsidiiis affatim instructos relinquens. Tridenti haud diu fuerat, cū translatum Concilium est Bononiam Martij mensis extremo. Tū verò, quia translatio illa minimè probabatur Imperatori, metu eius offensa Cardinalis Otho aliquandiu hæsitum laiū, & Canisium eo mitteret nomine suo.

*Tertia ad
Concilium
primo Tri-
dentino.*

F

Sed

Deinde Bononiam.

Sed tandem, quia Ignatius omnino iusserat Tridento proficisci, Cardinali quoque assentiente, discessere ambo tertio die Paschæ: Patauique aliquot dierum mora ducta, Bononiam tandem concessere. Hic Canisius & inter Theologos sententiam dixit: & quia Cardinales Concilij præfides quæcunque Tridenti, ac Bononiæ tractata de Sacramentis erant, iusserant Lainium, ac Salmeronem colligere, disputationesque inde pulcherri-
mas in ordinem, ac viam ipsi redegerant, idem iis disputationibus stylo politiore complectendis, exscribendisque (nam & characteribus scribebat cum quadam dignitate clarissimis) plerumque temporis impendebat magno sanè labore, sed non minore voluptate, studioque obtemperandi, ac famulandi iis, quos tanto, quam se vtiliores publicè existimabar. Cum deinde Concilium non procederet, cum Lainio Ignatij iussu Florentiam, *Roma venit.* inclinato Iunio, inde Romam, ubi primum fracta ætas permisit accessum, venit.

Haud difficile cogitatu est, quanta exultantis animi pietate Parentem Societatis Ignatium compererit, ad eius sese prouoluerit pedes, tum paternum amplexum exceperit: qua deinde sub-
missio-

missione animi, & hilaritate totam illam sanctā domū complexus sit. Nec profectò minore ipse, dudum fama notus, exoptatusque, caritate, ac benignitate susceptus est. Nihilò tamen minus beatus Pater (id, quod cum aliis quoque, qui recepti in Prouinciis veniebant in Urbem, moris habebat) de integro interrogari iussit, ac singillatim explorari, num quibus ab ineunda Societate arceretur impedimentis; quamque ad eam animi preparationem afferret. Cumque percunctationibus cumulatè satisfecisset, Decimo Kalendas Octobris anno salutis humanæ Millesimo quingentesimo quadagesimo septimo post viginti circiter dies separatim in ædibus primæ probationis exactos, ad omnia paratissimis imperia, idq; acturus, eo Societatis loco, & gradu, quem Præsides decreuissent, futurus, ad communitatem vitæ recipitur. Hic verò acrem animum, cupidumque summi profectus haud domestica solum inflammabant exempla, sed sanctorum Christi Athletarum, quæ passim sancta Vrbs offerebat, vetera monumenta & trophæa inclyta incitabant. Ceterum paulò plus quinque mensibus in florentissima illa, beataq; schola virtutis liquit exerceri.

1748.
singularis
Canisij obe-
dientia.

Anni insequentis Martio mense, cum in Siciliam prima societatis Colonia mitteretur ad Mamer-
tinos, inter alios egregios viros Petrum quoque
Canisium placuit Ignatio proficisci artē Rhetor-
icam professurū. Sed iuuat ex ipsius autographo
posteritati prodere, quam perfecta obsequij lau-
de vir, qui poterat vbicumque voluntas ferret, in-
ter hominum plausus, honoresque versari, profe-
ctionem illam suscepit. Exploraturus per eam
occasionem Ignatius alumnorum suorum obe-
dientiam, dum delectum parat, certa proposue-
rat capita, & quædam in iis, si insipientem homi-
num sapientiam spectes, absurda: cunctis dome-
sticis viritim scripto edere iussis, quem quisq; ad
ea gereret animum. Ad quæ Canisius ad literam
ita respondit. Habita mecum qualicumque deli-
beratione super iis, quæ Reuer. in Christo Pater
meus, & Præpositus M. Ignatius breui proposuit,
Primum, adiuuante Domino, in vtramvis par-
tem æquè per omnia moveri me sentio siue do-
mi hic manere perpetuo iusserit, siue in Siciliam,
Indiam, aut quodvis alio transmiserit. Tum si in
Siciliam abeundum sit, simpliciter mihi gratissi-
mum fore profiteor quale quale iniungatur ob-
eundum

eundum illic officium , ministerium uē , etiam
Coqui, Hortulani, Ostiarij, auditoris, & in quavis
disciplina, licet mihi ignota, professoris. Atque ab
hoc ipso die, qui est quintus Februarij sanctē vo-
ueo , sine omni respectu me curaturum nihil in
posterum, quod quidem ad habitationis, mis-
sionis, similisque commoditatis meæ modum
vllum facere posse vnquam videbitur, relicta
semel, ac semper eiuscemodi cura, omnique soli-
citudine Patri meo in Christo Reuer. Præposito.
Cui sanè tam quoad animi; quam corporis gu-
bernationem, & intellectum ipsum, & volunta-
tem meam per omnia plene subiicio, humiliter
offero, fidenterque commendo in Iesu Christo
Domino nostro. 1548. Mea manu scripsi Petrus
Canisius Neomagenfis.

Fuit Syngrapha hæc Canisij non magis præ-
sentis index, & pignus voluntatis, quam obedi-
entiæ in totam deinceps vitam perpetua norma.
Vbi decet animaduerti, quam se totum, ac peni-
tus Holocaustum fecerit, quantamque sibi ultro
necessitatem imposuerit, cum priuatim illo fi-
dem obstrinxit voto, nihil curaturum vnquam,
quod ad habitationis, missionis, similisque com-

*Destinatus in
Siciliam pro
sociis Ponti-
ficem alla-
quitur.*

*Messanae do-
cet Rhetori-
cam.
Et conciona-
tur Syracusis.*

moditatis suę modum vllum attineret. Latissimè enim patet hæc sponſio: sique religiosè, vt semper ille præstitit, obseruetur, nihil homini prope integrum, liberumque relinquit: nec facile quisquā nisi obedientię absolutissimæ studiosus intellexerit, quanta in exercitatione tali virtutis præstātia sita sit: quam frequens, & animosum, & magnificum sacrificium. Sub ea destinatos Siciliæ socios, antequam Roma discederent, voluit beatus Pater ad Pontificem summum vniuersos adire, ab eo faustam itineri, ac coeptis precationem accepturos. Et quanquam aderant viri graues, & eloquentes alij, tamen Canisio affandi Pontificis partes imposuit: qui latinam orationem minimè prolixam, sed admodum piā, temporique accommodatam habuit. Peruectus Messanam, veterem obtinuit morem industriæ, atque sedulitatis suæ: vt nequaquam simplici labore, munereq; vno contineretur; sed quicquid in rem animarū caritas, obedientiæue offerret, cupide, ac solerter arriperet. Non itaque dicendi præcepta duntaxat tradebat summa in gymnasio cura, & præclaris identidem orationibus declamabat latinè ad nobilem, doctamq; coronā, sed etiam sacris diebus verba

verba faciebat ad populum. Quippe, qua erat celeritate ingenij, & caritate salutis alienæ, Italicam linguam breui tempore ita perceperat, nō solum vt commode, sed vt eloquenter posset ad concionem differere. Et quoniam semper habuit in more absentibus quoque prodesse per literas, quæ omnes à iuvene licet conditæ, sanctam quandam Patrum priscorum antiquitatem, & grauitatem spirabant, ad socios aliquot, qui Colonia recens in Urbem venerant, multa religiosissimè, atque hæc inter cetera scripsit, beneficium in primis commendans, quod eis in Romanam domum veniendi potestas fuisset. Quid enim est? inquit, quid valet obsecro, veros, & exercitados in Christo Partes nancisci, à quorum sententia tutissime totus pendeas, malique nihil omnino expectes, sed ea solum, si velis, quotidie accipias, quæ nullis mundi præsidij, & ne maximò quidem literarum studio, tibi aliquando pares? In hac Schola diues abunde paupertas disceitur: libera verè obedientia percipitur; gloriosa præcipue humilitas, & nobilissimus Iesu crucifixi amor solide comparantur. Ego vero, cum pulcherrimam illam philosophiæ diuinationem, quæ istic nemini doct, occasionem;

que

*Quales eius
epistolæ essent
etiam Innocen-*

Religiosa vocatio commendatur.

que animo mecum reputo, quid Romæ habuerim, quid reliquerim video. Sed damnāte segnem hunc animum ipsa mihi conscientia, doleo certe parum temporis, minus verò curæ, & studij rebus illis præclarissimis à me datum esse. Quod fortasse cum non sine summo dedecore dicatur, præteriri à me nunc poterat, nisi meo exemplo vestris etiam commodis prospectum iri desiderarem. Quare non in vacuum quæso gratiam hanc Dei amplissimam accipite, sed præsentē bonitatis diuinæ munere sic utendum censete, ut sitis & ipsi vobis omni ex parte superiores, & in dies singulos conformiores Christo. Non quod meis exhortationibus ad pietatis vestræ cursum opus sit, quin potius stimulis vestris tarditas mea locum, adiutumque præbet; sed pro mea apud vos libertate solita id dixerim Fratres. Benedictus interim Pater ille misericordiarum, qui terram veluti promissionis alteram vobis exhibiturus, Pharaonem submersit cum suis Ægyptiacis curribus: atque in plenam ut libertatem vos assereret sibi, per calcatas mundi illecebras huc denique: vinculis expeditos omnibus prouexit. Agite verò fratres mei (hoc enim nomine si ante hac unquam, nunc mihi

mihi maximè vtendum puto)fidētibus quæso
animis aggrediamur ea subire omnia, quæ sanctę
obedientiæ iugum adfert. Sed leue illud, non mi-
nus, ac suaue iugum, si vel paulum animos assue-
fecerimus. De me quod peculiariter scribam opẽ-
ræ pretium nō est. Rationem suscepti in Siciliam
itineris haud dubiè cognouistis. Qui spirituali-
bus istic rebus operam dare amplius eram indi-
gnus, ad studia, sed certè insipida reuocatus sum:
nisi quod sapidum esse dicimus quicquid suum
ab obedientia condimentum capit. Rhetoricam
profiteri iussus (à qua tamen facultate alienus
sum) in instituendis bonis adolescētibus operam
meam colloco: facturus etiam spero, duce Chri-
sto, aliud quiduis, quod vel obedientia præscri-
beret, vel mea imbecillitas ferret. Mirum quan-
tus hoc loco fructus per nostros Christo sit colle-
ctus, & breui quidem tempore: maiora his acces-
sura speramus. Qua in re vestras etiam nobis præ-
ces impertiat. Tales aliæ ad alios amicorum, aut
domesticorum literæ Canisij erant. Nihil habe-
bant leue, nullas officiorum vulgarium nugas:
seria omnia, grauiā, pietatem ædificātia, linguam
denique religiosam, ac sanctam.

G

Inter

*Destinatur
in Bauariam*

Inter hæc Bauariæ Dux, Dux Guihelmus studio ardens religionis tuendæ, expertus olim sapientiam, & industriam Claudij Iaii, tres à Pontifice Maximo Theologos, qui in Academia Ingolstadiana docerent, ipsumque nominatim Iaium impetravit. Ei socios adiunxit Ignatius Alfonsum Salmeronem, atque Canisium. Eo enim tempore, quo societas in maxima paucitate operarum certatim per omnes prouincias accersebatur, atq; propagabatur, haud quaquam magnis viris diutina mora vno, eodemq; loco concedebatur: sed, vt prima posuerant alicubi fundamenta, ad ponenda alibi traducebantur. Ergo Canisius paulò plus anno Messanzæ exacto in Bauariam mittendus Romam accitur. Reliquit nobile sui pignus in eo Collegio non solum illustria virtutum exempla toti posteritati imitanda, sed etiam sacra duo crania Virginum, Martyrumque de beatæ Ursulæ comitatu. Ea Coloniz sanctimoniales, quibus ab Capitolio, quod incolunt, Capitolinæ est nomen, ipsi donarant, dum apud eas conciones haberet: inde transmissa Romam B. Ignatius Collegio Mamertino assignauit: quo cuncta Ciuitas magnifico apparatu, celebrique pompa acceptas

1549.

ceptas inuexit. Romam ut venit, solennia quatuor Professorum societatis Vota pridie Natalis Deiparæ septimo die Septembris ex B. Ignatij sententia concepit. Eiusdem mox imperio una cum Iaio, ac Salmerone exitinere suscepit Bononiæ Doctorem insignia die B. Francisco solenni nono seculi eius, & quadragesimo anno.

Inter Professores Societatis adscribitur. Bononiæ Doctor creatus.

Inde tres pariter in Germaniam progressi cum peruenissent Dilingam, ab Cardinali Augustano summa caritate excepti, ægre tenuerunt, ne sibi Canisum auferret ad Collegij præfecturam, quod Dilingæ, nihil dum de tradendo eo Societati cogitans, inchoarat. Magno post hæc honore à Duce ipso Monachij, deinde Ingolstadij ab Episcopo Eistettensi Mauricio, qui Academiæ Cancellarius erat, excipiuntur. Nam ipsemet Episcopus, Doctoresque omnes, atque Magistri ad eos consalutandos honorificè in domicilium processere: habitaque ab eorum uno plena gratulationis oratio est. Cui ex tempore, & eleganter communi sociorum nomine respondit Canisius. Idem continuo, & Salmeron aggressi docere (nam Iaius ad noui anni reseruatus initia) Orationum prolusiones habuerunt eiusmodi, ut doctissimi quique

Ingolstadt Theologiam docet.

prælo vulgandas contenderēt. Diui Pauli Epistolas. Salmeron, Canisius collectas, digestasque à Petro Lombardo (quem Magistrum vocant) Theologicas sententias explanabat. Denique ita probata est religiosa Doctorum Sapiencia, vt perhonorificum de iis iudicium suum edito typis codicillo Academia publicarit, professa singularem eorum scientiam, exercitationem in omnibus disciplinis: ac postremo sanctimoniam vitæ non solum expectationi omnium, eique maximè respondere, sed etiam longe præire. Spectaculo erat sedulitas in docendo. Tractabant enim id muneris, non vt mercenariæ perfunctionem operæ, sed vt obsequium impensum Deo. Idque ipsum ceteri mirabantur, nullo eos stipendio capi, sed plane gratuitis famulari laboribus. Ad hæc, cum vita omnis omnium virtutum clara luminibus, tum eo maximè loci conspicua, in victu frugalitas hominum animos capiebat. Illud verò, vt plane rarum, ac nouum admiratione dignum rebantur, cum in assignato eis templo videbant diuinam Eucharistiam vna simul nouem, decemue è iuuentute suscipere. Tanta diuinissimi muneris per id tempus erat obliuio, vt tam exigua manus pro
mira-

*Inducit Sacramento-
rum usum.*

miraculo effet. Tam Canisius pusillam manum
constat. Et sanè ad eum pertinet rerum Ingol-
stadij subinde gestarum pars maxima, in quem
pene solum tota laborū moles recidit. Nam bre-
ui Salmeron, deinde & Iaius auocati: quorum in
locum submissi Nicolaus Gaudanus cum aliq
Theologo, qui etiam breui abductus est: cumque
ageretur de Gaudano quoque valetudinis causa
amouēdo, ac solus relinqueretur Canisius, is eam
solitudinem, tamen, pro eo quantum amabat
sociorum consortionem, dulcemq; conuictum,
peragreferebat; tamen more suo cetera omnia
suppleri, compensariq; gaudia putabat obedi-
di virtute. Itaq; se contentum fore profitebatur,
atque adeò consolatione plenissimum, quamvis
propter sua peccata solus victurus esset in ea steri-
li (talis tūm vitio temporum videbatur) ac spi-
nosa terra: quod ex quocunque loco, in quo vel-
let Præpositus in hac breui peregrinatione viuere
cum, ac mori, factura esset sancta obedientia Pa-
radisum. Nihil igitur mirum, si tam coniunctus
per suos Præsides cum Præpotente Domino ad-
ministrer, inde vires ducens, & aptè motum exci-
piens, tanto successu quicquid aggrederetur, effe-
ctum daret.

*In obedientia
habet omnia.*

*Multiplicis
industria
pietatem
excolit.*

Ergo docere exorsus, ut qui non suæ venabatur incrementa celebritatis, sed id modò agebat, ut auditoribus Christum per doctrinam inferret, multa ad eam rem adumenta excogitauit. Principio præter ordinarias in Theologia scholas, quotidie priuatas alias instituit domesticos intra parietes, ut ex occasione commodius, ac familiarius auditores in pietate institueret; & ad frequentem exomologescos, ac synaxeos vsum alliceret. Deinde ad publicos, priuatosq; scholæ labores, latinas homilias adiecit diebus sacris ad studiosam literarum iuuentutem. Quin etiam paulò post morem, qui vigeat Coloniz introduxit, ut ipsi met iuuenes de virtute quapiam declamarent. Quæ exercitatio & ipsis dicentibus instillaret sensum eiusdem virtutis amorem, & Canisio locum præberet opportuna iis monita suggerendi. Super hæc, quoniam vera caritas nihil non Deo mixta, confidit, & experitur, in Magno ieiunio germanice quoque cœpit ad populum verba facere. Nec postea conciones has, quâdiu Ingolstadij mansit, vllò vnquam tempore intermisit. Ad eas verò tanti fiebant concursus, ut in templum fuerint multo capacius transferenda;

*Germanice
simul con-
cionatur.*

dæ: & tamen ne illud quidem caperet vniuersos: sed multi conferti pro foribus, & ad fenestras audirent. Quanto verò salutare magis, quam plausibiles tractatus essent, vel præsentis argumento patebat. Cum enim sacrificium Missæ (ô tempora) non leuem in contemptum venisset, soleretque multitudo oscitanter admodum, irreligioseque interesse, & magnam partem vix recitato Evangelio, aut sanctissimo Christi corpore, sanguineque ad adorandum sublato dilabi; quo die concionem habuerat Canisius, summa omnes patientia, ac pietate ad finem vsque perstabant. Inuaserat precandi Numinis negligentia tanta, vt prope mortales puderet conspici in ædibus sacris orantes. Hoc vt vitium tolleretur, primum excogitavit vt adolescentes, quorum quasi sodalitatem conflauerat, communiter Cælites per Litanias inuocarent, & alias preces exquerentur. Deinde pro concione ipse met adhortari populum instituit ad saluberrimum illum, Deoque gratissimū cultum: monitisque omnibus, vt vnà secum coniungerent preces, simul ac finem dicendi fecerat, flectebat pie genua, & concepta in verba præibat: populusque vniuersus item flexis genibus suble-

*Preces mo-
rem inducit.*

que

quebatur. Preces autem de industria lectæ, quæ tempori conuenirent, pro summo Pontifice, pro Imperatore, & ad auertendas præsentis calamitates peragebantur. Nec modo per se ipse salutare hoc inuentum publicauit, sed apud omnes Concionatores obtinuit, vt idem ex certa illa precum formula obirent.

Obtreſtato-
rem caritate
vincit.

Nimirum oſorem bonorum Satanam vrebatur ſucceſſus hic pietatis. Ergo breui poſt tempore ipſorum. Cōcionatorum ē numero quendam exiuit, qui moras conateretur obſistere obtreſtans fidei Euangelistæ, & criminās palam, quod præter morem, nec loco ſolenni ad euangelizandum prodiret. Ceterum haud quicquam clariuſ illuſtrauit, ſiue ciuium aduerſus Caniſium, ſiue ipſius erga aduerſarios caritatem. Totius Academiae vniuerſi Profeſſores in vnum collecti obtreſtato-rem aggreſſiuntur: meritoq; conuicio acriter increpito. grauem proponunt multam, ſi quicquā poſt hæc mutiret. Continuo adſuere ab Epilco- po literæ, quam aſperæ ad illum, tam honorificæ, blandæque & ſtudioſæ ad Caniſium, ne ab ſuſcep- to opere vlla ſatanæ mora retardari ſe pateretur. E multitudine verò non deſuerunt, qui obtreſta-
toris

toris adoriri domum molirentur, & tãquam im-
portuni calumniatoris inuaderet. E contrario Ca-
nisius non suam, sed aduersarij vicem dolens, ex-
cusare hominis factum, benigneq; interpretari,
sincero mulcere studio indignantium iras. Deni-
que tantum adnissus est, vt cum ab multitudine
irata defenderet. Fuerunt hi carbones ex igne, quẽ
Christus e Cœlo delatum, accendi, propagarique
cupiebat in terris: qui Criminatoris illius in caput
congesti frigidũ cor incenderunt. Agnouit pium
erga se religiosæ lenitatis officium; multoq; quã
antea vnquam cum Canisio se & voluntate & fa-
miliari quoque vsu coniunxit.

Is autem non in ea modò, quæ diximus, pub-
licè, sed priuatim omni ope in communes om-
nium, ac singulorum se se diuidebat vtilitates.
Idem carcere vinctis consolationem, & opem af-
ferre, idem solatia ægrotis præbere animorum, &
corporum, idem reconciliandis inter se dissiden-
tibus operam impertire, vt nihil tale Ingolstadij
aliquãdo extitisse quisquam recordaretur. Quin
etiam, quoniam pastorum populi summa erat
inopia, prouide stipem luculentam collegit, vn-
de studiosi literarum pauperes, qui olim suffici-

*Omnia pro
Religione
molitur.*

H possent,

possent, leuarentur. Quanquam deplorabat eo redactam rem, vt ne propositis quidem præmiis, ac stipendiis ad sacra Theologiæ studia compelli iuuentus posset. Vsq; adeò diuina viluerant.

*Academia
fit Rector.*

Ecce autem tot laboribus presso nouus labor accedit, Rector ipsius Academiæ creatur. Perinuitus suscepit id muneris, tum quia indignum se, imparemq; censebat, tum quia verebatur ne non satis cum societatis disciplina congrueret. Sic tamē administravit; vt multa esset materia laudes, gratiasque agendi bonorum autori, ac fonti Deo. Fatebātur vulgo palam studiosos in eo magistratu egisse multo, quàm soliti essent, modestius. Communis fuit trāquillitas etiam tum, cum tumultuandi impune, debacchandique licentiam dare videtur inueterata consuetudo feriis ante magnum ieiunium. Notandos, qui extabāt, Hæreticorum libros curauit: ne venderētur edixit: ne in posterum inferrentur cauit; qui quidem Grammaticis etiam, Rhetoricisque, & Dialecticis monumentis præsentia venena insperferant. Quæ altis fixæ radicibus vitiosæ consuetudines placide, subitoque obliterari nequibant, eas collegit omnes in commentarium, misitq; ad ipsa totius
Acade-

*Optimeque
munus gerit.*

Academiæ capita, quorum propriæ erant partes communi scholæ vtilitati, emendationique prouidere. Valuit ea res & ad leuandam Rectoris apud Scholasticos inuidiam, qui nec facile tot morborum ab eo recepturi medicinam videbantur, & ad liberandam periculo eiusdem conscientiam, si quid minus impetrabile casto tentaret strepitu. Ad demique adiuncta illa vigilantix verecundia pergrata iis accidit, quorum authoritati officioq; sananda vulnera commissa sunt. Eo quoq; summa Canisij prudentia, pietasque se protulit. Cum haud deessent bonis Parentibus filij mali (quos vtinam Academiæ, atq; gymnasia nullos haberent) ipse Parentes, tametsi procul disiunctos per literas admonuit; maturè vt sibi, liberisq; consulerent: coërcerent ætatis illius, & indolis petulantiam: viam exquirerent, vt quibus vitâ dedissent, iis meliorem traderent rectè, honesteque viuendi rationem. Quæ res & filiis profuit, & conciliauit parentes. Iam quia puniendi erant nonnulli, vel ob noxæ magnitudinem, vel in aliorum exemplum, vel ob retinendam veterem disciplinam; alij quod insanabiles, ac desperati viderentur, in exilium acti; alij grauius reprehensi, neq; sermonibus

bustantum, sed etiam carcere castigati, quod melius curari non posse existimarētur, alij chirographum dare iussi, & sistere fideiussores, qui vitam ipsos serio correcturos sponderent. In condonanda noxa conditiones præscriptæ certæ: nonnullis quidem vt in dies aliquot, aliis vt in hebdomadâ, & amplius abstinerent prorsus à vino, cuius usu fuissent abusi: quibusdam vt nulla gestarent arma, aliis vt ad certam horam vesperi essent domi, non egressuri ante lucem: præterea vt redirent singulis mensibus ad Rectorem, probatumque afferrent testimonium de vitæ suæ institutione. Breuiter, non caritatis modò, sed etiam iustitiæ exercendæ locus multiplex datus est, admirante Canisio, quo pacto fieret, vt nō diuersæ tantum, sed etiam contrariæ simul res in vna hac societate administrarentur: dum alij captiuos redimerent, ipse mitteret in carcerem: alij demulcerēt iratos, reconciliarēt offensos, ipse plecteret, obiurgaret, ac terreret, & castigaret improbos. Ita nimirum nō secus, ac periti Medici ad omnium se languores remediis hic mitibus, illic asperis serui Dei accommodabant, omnibus facti omnia, multos vt lucrifacerent Christo. Vbi perfunctus est munere, reddend-

reddenda fuit accepti & dari ratio: nec minorem ea re integritatis, & abſtinentiæ, quam in cetera administratione caritatis laudem ac prudētia tulit. Numerarūt ei pecuniam, quam pro more ſoluūt Reſtori: ſed conſtanter negauit accepturum ſe quicquam. Neque enim morem ſocietati eſſe præmiorum id genus ſperare, aut recipere ex laboribus, ac muneribus ſuis. Conuerterent ipſi, ſi vellent, eam mercedem in alios pietatis vſus. Abunde ſibi eſſe, quod in diem ſupperat vitæ neceſſitati. Viſi ſunt per ægre perſuaderi: ſed haud dubiè probarunt exemplum.

*ſtipendium
repudiæ.*

Maius inde certamen excepit. Adeo enim probata Viri opera in Reſtoratu: cū Cancellarij Vicarius deceſſiſſet, exarſerūt omnium ſtudia, vt Caniſius idem ſufficeretur, & ipſemet Albertus Bauariæ Dux, qui Guilielmo parenti vita perfuncto ſucceſſerat, ea de re quam potuit graues, & accuratas ad B. Ignatium literas dedit. Eſt autē Procancellarij munus eo loco ſatis amplum. Nam, quia Cancellarius Ingolſtadianæ Academiae idē eſt, qui Eiſtettensis Episcopuſ, cuius Dioceſi Ingolſtadiana quoque Ciuitas contributa eſt, & alia paſtoralis curæ negotia cum diſtinent, cuncta

*Procancellarij munus re-
caſat.*

Academiæ officia in Procancellarium recidunt. Ergo in magno is honore habetur, & præter stipendia certa, Eistetti Canonicatum habet. Quæ omnia quo magis ampla, ac quæstiosa, hoc magis paupertatis, humilitatisque tenax Canisius refugit: eò etiam, quod procuratio illa in omnem vitam perpetua solet esse. Easdem ob causas Ignatius quoque disertè reiecit, id solum Duci largitus, ut (si qui fortè casus vrgeret) ad tres, quatuorue menses, citra honorum insignia, & stipendia, Canisius eas partes suppleret.

*Expetitur
malis ac in
et al.*

Dum autem tantum Ingolstadiani certant, ut eum virum Ciuitati alligent, Academiæq; suæ, certabāt permulti ut ad sese, vel ad breue tempus elicerent. Inuitabatur à Præsulibus magnis in vicinas oras, maximeq; in Saxoniam à Iulio Pflugio Episcopo Numburgensi ad miseræ subleuandas gentes verbo Dei, & consilio ipsos Præsules dirigendos. Canonici quoque Argentoratenses ad se se summis precibus aduocabant, cum essent nuper ab Imperatore Carolo restituti suum in locū, vnde Lutherani per summā iniuriam, & impietate eiecerant. Cumq; sui iuris negasset se esse Canisius, illi & ad Ignatium Romam, & ad Cardinalem

lem Massæum Germaniæ Patronum, & ad ipsum Pontificem de ea re perscribere. Quin etiam Episcopi tum Frisingensis, tum Eistettensis suo illum loco ad Concilium mittere, vel deducere conabatur: sed omnibus Ducis ipsius Bauari studium, auctoritasque præpolluit; qui commoueri loco non fuit, ac B. Ignatius haud illibenter concessit; quod perpetuum societati Collegium (vti Dux Guilielmus instituerat) excitaturum se Albertus propediem demonstrabat. Neque tamen diutius illius victoriæ fructus Ingolstadio fuit. Quippe vbi Collegij res in longum trahitur, cum annus iā seculi alter & quinquagesimus obrepisset, & Viennæ Ferdinādus Romanorum Rex, qui postea Imperator fuit, Collegium inchoasset, & omnium disciplinarum præceptores expeteret, nec tanta præsto esset copia societati, B. Ignatius existimans nascenti Collegio succurrendū, mollissimā viam excogitauit, per quam Ingolstadio Canisium, & Gaudanum, qui cum eo versabatur, Viennam traduceret. Ferdinando suggestit, vt ipsemet ab Genero (namque Ferdinandi filiam habebat Albertus in matrimonio) par illud Theologorum, quasi commodato postularet, donec Colle-

1552.
Colle-

VIENNAM
MISIT.

Collegij Ingolstadiani adesset maturitas. Rex à Pontifice postulauit: eiusq; mandato Ignatius Patres admonuit, vt intra decimum diem, q̃ literas accepissent, iter Viennam ingrederentur, perque alias literas satis Alberto fecit. Et is quidem dolenter eam profectionem tulit; modisque omnibus, imo precibus egit, parumper vt Patres subsisterent, dum socero ipse suo Academiae illius, totiusq; Bauariae aperiret statum: sed apud parendi cupidos Religiosos, quos & præscripta vrgebat dies (neq; enim ludificari imperia per interpretationes volebant) dum nihil promouet, id consilij demum cepit, vt misso Romam secretario, reuocandos eos curaret. Discessuris autem Patribus quicquid ex usu erat, & luculentum viaticum dedit: quæ magis recepta sunt, ne benignitas tanta nouo quasi vulnere contristaretur, quam requireret indigentia: cum de suis aulicum Ferdinandus misisset, à quo Viennam cum omni humanitate perducerentur. Ergo pridie Kal. Martias, qui dies Dominicus erat, pro concione Canisius populum discessurus vltimum salutauit. Ad quam vocem magna in omnibus excita animorū commotio, multumq; lacrymarum effusum est. Par fuit

fuit Academia totius, atque Eistettenfis Episcopi
sensus. Sic tamen modestia Patres ambo pruden-
tiorq; sua rem mitigarunt, & animos leniuerunt,
vt summum desiderium relinquerent sui; nihil
aduersus Ignatium, ac societatem offensionis, aut
querelarum. Ceterum in Academia mansit de *Ingolstadi-
nae Academiae
Elogium de*
Canisij præstantia tam præclara, & excellens opi-
nio, vt in Annales mox suos retulerint, esse eum
virum incomparabilem, diuini propemodum
ingenij, eruditionis item incomparabilis, Philo-
sophum eximium, Theologum profundum, le-
ctionis infinitæ, Oratorem valde eloquentem,
Ecclesiasten pariter grauem, & iucundum; deniq;
lumen eius temporis inter Doctores Ecclesiæ. At
vita iam pectusfucto eadem Academia Elogium
præclarissimum posuit, in quo præter cetera te-
statur, rem Catholicam minificè iuuisse, promo-
uisse: & perpetuam vitæ innocentiam, & summam
in omni virtute præstantiam, denique admirabi-
lem sanctitatis opinionem consequutum.

Viennam ante mediam Martium attingere;
perique opportunus fuit aduentus ad faciendam
graui iacturam, quæ paucis post mensibus fa-
cta est Claudijs laij excessu. Is vnus e primis decem
fuit

*Laborabat
seculum ino-
pia librorum
in corrupte-
ram.*

fuit societatis Iesu parentibus, de Germania bene
usque eo meritis, ut plurimorum opinione velut
Apostolus eius haberi, dicique possit. In partem
laborum laici successit Canisius. Quippe Rex Fer-
dinandus pro sua religionis tuenda sedula volun-
tate, dum subsidia sagax conquirat, statuerat pla-
ne sapienter opus esse ante omnia librorum ali-
quot monumentis, unde casta rituum sacrorum
doctrina peteretur. Hæretici nihil intactum reli-
querat: atque Harpyiarum instar quicquid attige-
rant, conspurcarant, suæque impietatis veneno in-
fecerant. Non in Theologorum, non in Parochor-
um, non in Ludimagistrorum; atque adeo puero-
rum manus nisi codices pestiferi veniebant, vel
ab illis editi, vel corrupti: unde per Ordines, perque
ætates omnes pestis diffundebatur. Ergo censue-
rat Ferdinandus condenda opera tria. Primum
Academiae in usum, quod theologicam doctri-
nam compendio firmo, tutoque complecteretur.
Alterum ad Parochorum institutionem, unde ad
populum quoque erudiendam, & cohortandam præ-
staretur argumentorum sylva. Postremum ludi-
magistris usui, teneraque ætati. Horum conditio-
nem operum cum laico Rex commendasset, ac
Theo-

Theologicum ille compendium inchoasset; eo
 rapto in Canisium transtulit. Is imparem se tanto
 oneri sentiens (nemo enim vnquam de se sensit
 modestius) egit ipse, agendumq; cum Ignatio cu-
 raui, vt in alios de societate, quibus sapientia par,
 & facultas idonea suppeditaret, traduceretur. Et
 B. Pater theologicam summam Lainio: Sacerdo-
 talem institutionem Andreae Frusio assignauit:
 ipsi Canisio Catechismū: qui demum solus præ-
 scriptam sibi partem absoluit. Nam Frusio vitæ
 finis, Lainio Generalatus interuenit. Ceterū ita
 demum locupletatum, perfectumque est Canisij
 opus, talesq; idem edidit in Euangelia totius anni
 notas, vt omnium partes expleſſe visus sit. Sed hæc
 postea euenere.

*Catechismū
 Canisius in-
 betur scri-
 bere.*

Cum primum autem Viennam adiit, & bis
 in hebdomada scholas in Academia habebat, &
 studiorum regēdorum præfecturam gerebat do-
 mi, & sanctioribus quibusq; diebus ad sancti Do-
 minici (Ea tum Collegij sedes erat) dicebat ad po-
 pulum tanta constantia, vt quamuis per autum-
 num pestilentia desæuire coepisset, tamen nun-
 quam intermiserit, sed potius frequentari con-
 ciones, admiratibus Germanis salutis alienæ stu-

*Plurimæ oc-
 cupationibus
 operantur.*

dio ita flagrantem animum Mirè autem & sum-
 mis, & infimis agendi, dicendiq; ratio probaba-
 tur. Itaq; Senatus ipse Consule misso, rogauit vt in
 Templo sanctę Marię ad ripam, quod secundum
 Episcopale Ciuitati commodissimum erat, con-
 cionari placeret. Iam verò haud doctrina magis,
 & eloquētia quam viri sanctitas celebrari; ac no-
 biles foeminae ad eius institutionem accurrere: &
 idem passim ad ægrotos accersi, tum vt animis,
 tum vt corporibus diuina ope mederetur, præfer-
 tim postquam cælestis medicinæ experimenta
 conspici coepta sunt. Duarum ego in literis Ener-
 gumenarū curationem reperio: sed quia voreor
 ne vna eademq; sit, quam posterior epistola sub-
 tilius exequatur, vt integrū sit lectori iudicium,
 ipsarum producam narrationem literarum. Pé-
 trus ergo Schorichius literis extremo Augusto da-
 ris anno 1552. cum de iis quos Canisius ad Christi
 partem adduxerat retulisset, ita subiecit. Spero e-
 quidem fore vt plures generet Christo hic Pater,
 vbi Vionnenses vitam ipsius, & mores inculpatis-
 simos interius cognouerint. Abscessit etiam ad
 infirmos nonnunquam: vt spiritualis Medicus
 animæ quoq; sanando languorē spirituales me-
 dici-

Aliquos mi-
 rabiliter
 curat.

dicinam proponat. Vocatus semel ad Dæmoniacam quandam mulierem, vt, si quid posset in expellendo ab ea Diabolo præstaret; licet iam extrema quæque multi alij tentassent, minimè tamen deterritus est: sed Christum assumens comitem fidenti animo illam accessit, & post colloquium non ita diuturnum persuasa ipsi, auditaque confessione, hoc profecit, vt non solum valetudinem ex diutina illa cum Diabolo conflictatione grauius afflicta, integram reciperet, vt domo post nonum quidem mensem statim ad templum nostrum egrederetur, ibiq; sanctissimo Christi corpori communicaret; verum etiam vt à molesta maligni spiritus vexatione ad multos dies immunis esset. Quæ res summum gaudium toti illi familiæ peperit. Patri vero Canisio, quin etiam societati nostræ plurimam autoritatem conciliauit. Venit igitur diligenter ad conciones Patris Canisij mulier illa vna cum Marito, & Matre, quæ confessa quoque est eidem Patri Canisio, & communicauit in Ecclesia nostra; elegantemque puerum offert societati filium, ni fallor, suum, licet paulo iuniorem, quam qui possit admitti. Christo omnis boni primario autori sit omnis ho-

nor, & gloria in perpetuum. Martinus autem Steuordianus literis anni insequentis initio Epiphani-
 norum ipso die scriptis talia refert. Ab afflictis, &
 desperatis Pater Canisius adiri iam cœpit, & ac-
 cessit, quod sparsus de eo rumor videatur, quo
 pacto quibusdā miserrimis Christo fauente, sub-
 uenerit. Ex quibus vna multo iam tempore de-
 cumbens, omnem suæ salutis spem amiserat: &
 neq; à Medicis curari, neq; à confessoris consola-
 tionem accipere vnquam potuerat. Quare se à
 Deo relictam aiebat, magnisq; signis comproba-
 bat se correptam, & obsessam à Dæmone, vt nō
 ster etiam Medicus de illa iudicauit. Hinc in ter-
 ram sæpe prosternei, & huc, illuc violenter nocte
 dieq; detrudi, abripiq; videbatur. Propalabat a-
 perte grauiissima prioris vitæ peccata, propter quæ
 iuste se damnatam, atque Dæmoni traditam asse-
 uerabat. Quare cum Pater ad illam venisset (nul-
 lus enim confessoriorū curam illius habere iam
 volebat amplius) eò perhibuit primum miseri-
 ram, vt integrè peccata fortius vitæ confiteretur:
 deinde tum orationibus, tum adiurationibus, &
 exorcismis sic vires Dæmonis illam corporaliter
 affligentis, repressit, vt iam domo libere exeat, &
 quo-

quotidie Dei templum visitet, atque ipsa domi
sua laboret, & singulis mensibus Eucharistiae cō-
municet, magnamque totius vitæ mutationem
præferat. Quæ res nihil mirū si magnæ sit mul-
tis ædificationi, vnde plures etiam Matronæ nūc
veniant confessuræ. Haftenus literæ posteriores:
quæ certè illud testantur rumorem emanasse, nō
vni modo, sed quibusdā miserrimis illum Chri-
sto fauente, subuenisse.

Ceterum haud minoris (si recte existimetur) Magnos pec-
catores con-
uertit.
miraaculi id fuit, carcere inclusorum obdurata in-
solentibus emollisse pectora. Ei nominatim mi-
seros illos solandi delegata prouincia erat. Ille au-
tē homines vix antea semel annos sacerdoti pec-
cata solitos enuntiare ad frequentem confes-
sionem adduxit: iisque, & aliis de plebe multis ipse
porrigebat aures: nec exiguum in vulgus com-
mendationem habuit, cum reorum vni, qui pro-
ductus ad vltimum supplicium est, recte prius in-
stituto priuatim, ac prænunito, hortator in pub-
lico & consolator usque ad exitum adfuit. Quæ o-
mnim iam consuetudine viluerunt, integram cum
ex nouitate gratiam vulgo habebant. Denique
manante in dies latius fama, certabant inter se

Cœno-

Excurret ad
rurales.

Cornobis Virginum, ut confessorium, ut cohortatorem, ut magistrum pietatis impetrarent: duobusque præcipuis concedendus certum in tempus fuit: & tamen amplissimæ illi caritati, quamvis tot referta laboribus, angusta Vienna erat. Ad pagos etiam, & agros extulit sese. Per natalitias ferias frequentem in pagum, miseratus mortalium solitudinem longam iam diem Pastore carētium, abiit. Ingentem reperit in promptu mettem. Hoc ille avidius expedire falcem. Visere ægros, & consolari, cogere in sacram ædem puerilem manum, & instituere; quotidiana concione agrestibus instituendis, & adhortandis insistere, promptas omni tempore aures offerre peccata sua promentibus, nihil non moliri, quod & in præsens, & in posterum utile animis, & religioni foret. Fuit nonagenarius senex, qui instar Simeonis gestiret factam sibi tandem copiam talis viri, de cuius manu divino Christi corpore pascereetur. Hac quasi velitatione tentato campo, caritatisque stimulo impetu Christi bellator in aciem iustam per magni ieiunii tempus processit. Plurima erant Austriæ loca destituta sacerdotibus. Quippe supra trecentas Parochias omnino viduas numerabant.

1553. per magni ieiunii tempus processit. Plurima erant Austriæ loca destituta sacerdotibus. Quippe supra trecentas Parochias omnino viduas numerabant.

bant. Hinc maxima mali labes in eas inuasit oras, dum per Pastorum inopiam impunè lupi grassantur. Inuitavit Ferdinandus Patres per literas *Austriam peragrat Evangelizans.* Gracio datas incunte anno 1553. ut orbos greges vellent inuisere, sacramentorumque, & verbi diuini pabulo recreare. Canisius eam sibi maxime prouinciam depoposcit, quod vñus omnium optimè linguam gentium nossèt. Hanc prætexbat causam ærumnarum cupidini. Egressus igitur per obsepta gelu, & altis obruta niuibus vadebat loca, circumferens diuina plebi solatia. Mirabantur homines tantam caritatem, atque patientiam, & animum inuictum, quo non modò iniurias temporum, sed barbaram sæpe hæreticorum, aliorumque petulantiam volens, libensque exhauriebat. Maximam sacri ciuij partem in pascendis agrestium animis studiose, fortiterque consumpsit, multo plus consumpturus, nisi urbani labores Viennam retraherent.

Interim Viennensis Episcopus, Fridericus *Fit regius Concionator.* Nausea, idemque regius concionator è vita decedit: & Canisio ille ad ceteros labor accedit, ut ab ipso Rege Ferdinando à concionibus assumatur. Altero Pentecostes die dicendi fecit initium. Non
K potuit

potuit magis probari Ferdinando ; tamēn opti-
 mus Princeps priuato studio suo commoditatē
 anteponens publicam, ita salubrem populo vni-
 uerso facundiam noluit Aulæ septis includi, & v-
 nico alligari suggesto. Iussum itaque in templo
 principe ad multitudinem, quæ frequentissima
 confluebat, ordinarias conciones habere, identi-
 dem ad se extra ordinem aduocabat : vnde Cani-
 sio labor geminabatur. Quibus enim diebus (nec
 infrequentes erant) aduocabatur, iis præco labo-
 riosus ne populum fraudaret, vix vna dictione
 perfunctus, progrediebatur ad alteram: deinceps
 que apud Regem, & apud populum euangelica
 personabat tuba: vnde eius quoque caritas apud
 bonos; & apud omnes nomen increbrescebat: il-
 lud quoque mirantes, qui nam vires non modò
 corporis, sed & ingenij, & iudicij ad meditandas
 eodem tempore tam diuersi generis disputatio-
 nes sufficerent, vt grauissimæ illic Curix, hic po-
 pulari concioni summopere probaretur. Dabat
 autem vtrique ille operam, vt recte sentientium
 iura corrigeret mores, ac delirantium Hæretico-
 rum dolos, ac fraudes redargueret. Et quoniam
 ex desipientia Apostolicæ sedis, Romaniq; Pon-
 tificis

*Eodemq; die
 & ad Regem,
 & ad Popu-
 lum dicit.*

tificis labes hæretica ortum ducit: maximeq; impij magistri condonationes ex Pontificia indulgentia in contemptum, & inuidiam, vocauerāt, hoc enixius eas propugnādas sibi, efferendasque, & ex merito magnificandas fumpsit Canisius. Occasionem aperuit per æstatem à Pontifice Iulio Iobelum ad Mariam Boëmiae Reginam Maximiliani cōiugem perlatum. Quod illa ad Collegium cum misisset, Canisius ritè Archipresbytero, & aliis ad quos pertinebat, obtulit, commēdauitque: tum de eorum sententia in germanicam linguam è latino sermone vt traduceretur, typisque excuderetur, & exemplaria valuis Ecclesiarum, & locorum sacrorum passim affigerētur, curauit. Parochos admonuit, quid facto opus foret: rogauitque ne muneri suo deessent: qui sane studiose rem susceperunt: diligenterq; sue quisq; plebi promulgarunt, & commendarunt. Idem qua dignitate quaque maiestate par erat, in concionibus regiis vtilitatem, & vsum indulgentiarum exposuit, deplorans simul negligentiam, & socordiam plerorumq; Germanicorum, qui hos, & id genus alios ditinæ misericordiæ fontes tantum non pro ludibrio haberent. Testabantur vi-

*Indulgentiis
auctoritatem
restituit.*

ri ætate graues nunquam se de dignitate, fructuque
 eorum donorum edoctos fuisse: & quid rerum
 essent, quid sibi vellent indulgentiæ, ad id loci
 funditus ignorasse. Nonnulli etiam, dum ea præ-
 dicarentur, lacrymis temperare nequibant, cum
 suam nimiam priuatim, tum publicam tempo-
 rum calamitatē miserantes, ac flentes, quod tan-
 diu per foedam inscitiam, & impiam Hæreticorū
 fallaciam tot bonis fraudati essent, quæ non mo-
 dō nō vsurparētur, sed etiam indignissimè passim
 velut abiecta proculcarentur. Igitur hæc seduli-
 tas Canisij fecit, vt liberalitati Pōtificiæ tam mul-
 ti in præsens Viennæ de plebe, deque nobilitate
 animos panderent, quot nunquam post hære-
 sim ibi exortam.

*Obtruditur
 es Viennensis
 Episcopatus.*

Inter hæc absumebatur laboribus, conficie-
 batur zelo Domus Domini: sed nihil pupugit a-
 crius maceravitque, quam suborta mox formi-
 do, & angor animi, ne forte ab sua humilitate ad
 honorum splendorem eiiceretur. Degebat Vien-
 næ sancti Stephani (ea est sedes Episcopi) Cano-
 nicus, idemque Doctor Burcardus Vondeberg
 Nouercæ Canisij frater, homō opulentus. E viuis
 sublato, vti nuper memorauimus, Viennensi
 Episco-

Episcopo, subiit hunc cogitatio, posse Canisum in vacuam sedem imponi. Quod cum Hieronymo Martinengo Apostolico Nuntio indicasset, & Caroli Cæsaris legato Guilielmo à Pictavia, & Martino Gusmano Camerario Regio, omnes tamquam diuinitus iniectum cōsiliū omnino vrgendum, & in rem omni ope deducendum susceperē. Sed opportunitas defuit Guilielmo ad nuptias Regis Poloniæ, qui Ferdinandi Regis filiam duxerat, festinanti: nec initio Gusmanus Principis copiam nactus est. At Martinengus, ut erat summè cupidus religionis, & momentum agi maximum Episcopi talis creatione, penitus in animum suum demiserat, primo quoq; tempore Regem alloquitur. Quam orationem ut audiit Ferdinandus, Vtinam, inquit, perinde impetrabile afferres, quam salutare consiliū narras. Sed enim vereor, ne, quod in Claudio Iaio sumus experti, machinas hic quoq; incassum admoueamus. Non eadem esse tempora Martinengus respondit. Societatem adultam iam satis, posse iam hominis vniusiacturam multo commodius ferre. Verum cuncta in ipsomet Canisio verti: si ille flectatur, cetera in proclui fore: eius se animum

*Oratio qua
Episcopatum
recusat.*

tentaturum. Inuitat subinde Petrum, ac tempe-
stiuè, & meditatus quid agatur, quantus aperia-
tur de Ecclesia Dei bene merèdi campus, eloqui-
tur. Cumq; mentionem eiusmodi animo ille, au-
ribusq; respueret, Age, inquit, profer in medium,
quid ita tantopere commouere. Aderat, & Col-
legij Rector Nicolaus Lanoius, cuius in literis hæc
hodieq; disputatio extat. Suboluerat paulò ante
& res, & princeps autor Canisio. Eo minus subita
appellatione commotus, in hunc modum re-
spondit. Ante omnia, inquit, cum constet mihi
inuentorem huius consilij esse Doctorem Bur-
cardum, satis apparet nequaquam illud à Spiritu
sancto, sed à carne, & sanguine proficisci. Neq; id
ego solum, sed populus mecum intelligit, cui
nunquam illa abstergetur opinio, me studio, &
ambitione, si non mea, certe Nouercæ meæ fra-
tris Episcopale solium inscendisse. Atqui nemo
assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo. Me
verò neutiquam vocari à Deo, non solum inde
intelligo, quod eam cogitationem nemini Præ-
positorum ille iniecit: sed multo etiam clarius,
quod ad vitæ diuersum hoc genus iam pridem
indubitanter vocauit. Habeo voluntatis huius
certis-

certainissima pignora, cum alia, tum tranquillitatem animi, & summam iucunditatem, quam semper in hac priuata forte, ac paupere sum expertus; & aliquem etiam rerum, quas interim tractaui, successum. Vnusquisq; autem diuinitus admonetur vt in Vocatione permaneat, qua vocatus est. quæ cum à Deo sunt, ordinata sunt: longeque abest vt promiscuè omnia ab omnibus ille desideret. Qui cum omnia suos ad exitus tam sapienti, mira que descriptione dirigat, ac perducatur, si quem per honores Ecclesiasticos velit sibi famulari, non vtiq; ad eam societatem vocet, in qua eiusdem (vt pro certo habeo) instinctu, & consilio omnis est ad honores illos aditus interclusus. Posset quoq; haberi ratio publicæ vtilitatis. Nam, si quid facultatis in me est, id multo cum pluribus communicare licebit, si quocumq; aduocarit vsus, expedito integrum sit accurrere, quam si vnica in sede affigat. Quippe Apostoli quoq; (tametsi quis ego sum?) plus afferebant vtilitatis per totum orbem terrarum libere discurrentes, quam Titus, aut Timotheus intra limites angustos Ecclesiæ vnus inclusi. Denique status rerum hoc tempore eiusmodi est Viennæ, tanta errorum colluies, tantum

tum à iustis Pastoribus, & à Romana fedediffidium, multo ut videatur expeditior via reipublicæ subleuandæ per vulgaria misericordiæ opera, per conciones populares, per familiaria passim colloquia, quam per honores, & potestatem.

*Oratio qua
urgetur ad
accipiendum
Episcopatum*

Vix ea Canisius exprompsit, cum Martignus contra magno ardore, & clamore coortur. Propterea enim elicuerat, ut, quemadmodum sibi videbatur, liquido demonstraret prorsus inania esse. Miror, inquit, istam sapientiam, ac sanctitatem talia comminisci. Vocationem diuinam requiris, quasi clarior sit expectanda vox, quam tot misere pereuntium clamor & sanguis animarum? Non est à Deo consilium, quoniam Burcardo primum venit in mentem: quasi Christi mors, qua redemptum est genus humanum à Deo non fuerit, quia Caiphas dixit, Præstat vnum hominem mori pro populo. Quietem in vita ista summam expertus es. Vide Pater ne ista insidiosa sit quies: & nomine humilitatis obtendatur cupido ocij, ac libertatis. Quid enim, si cordi essent ærumnæ, potius quam hanc occasionem arripere? Sella ad quam eueheris, non gradus honoris est, & quietis (ut vides) sed laboris, atque Martyrij.

Quod

Quod autem potest maius ex te in Ecclesiam Dei meritum proficisci, quam si gubernacula hæc capessas, coniunctisq; viribus cum societatis tuæ Patribus ad Prouinciarum harum custodiam excubes? Tum enim & Concionatorum prompta copia aderit: & priuata, quæcumq; memorabas, subsidia, supraq; ea, etiam, vbi res postulabit, honoris autoritas, & potestatis robur. Nec verò, si vel

Apostolus sis, longius, latiusq; circumferre tuam operam cupias. Nam quod in hac Imperij sede, & arce promoueris, in totum redundat Imperium.

Age igitur necessariam hanc subi seruitutem lubens: voluntarium Deo fac holocaustum: ne coges nos summa potestate vti. Alter carī Canisius noluit, sed paucis, ac virilibus verbis iterum contestatus, non quæuis à quolibet Deum exposcere:

nec omnia consilia re ita succedere, vti specie, & cogitatione blandiuntur: neque tam metuendas quietæ humilitatis, quam honoratæ caritatis insidias, congressum finiuit. Haud dissimile mox cum Rege ipso certamen, nec dispar exitus fuit.

Quantum certatum ut fieret Episcopus.

At Martinus eodem ardore literas ad beatum Ignatium exarat, per viscera misericordiæ Christi Iesu obsecrans, & obtestans, Canisium ipse com-

L pelle-

pelleret, adduceretq; ad suscipiendam curam miserimi eius Gregis, qui vndiq; circumfessus à lupis in vltimo agigaret discrimine: nec quicquam propius esset, quam vt foedè laniaretur, ac penitus voraretur. Igitur, vti poterat, ipse succurreret, ne forte si reiiceretur defensio, ad quam Canisius diuinitus vocabatur, ante tribunal Christi, & ille, & ipse Ignatius rei fierent: totq; animarum iactura atq; æterna perniciēs illorum de manibus requireretur. Se, quo minore cum strepitu negotium fieret, noluisse ante Ignatij responsum, cum speraret per se se pacatè rem tam iustam, Deoq; gloriosam, & Ecclesiæ salutarem, effecturum, summi Pontificis imperium interponi. Ita conuenisse cū Rege Ferdinando, cuius item auctoritatem Canisius in ea re vilem habuisset. Nihil o acriter minus pro se scripsit Canisius, vehementer affirmans, si quid contra ac vellet, eueniret, pro certo se Deum peccatis suis velut implacabiliter iratum tota vita reformidaturum. Et Ioanni Polanco, qui ab Epistolis Ignatio erat, septem spondit sacrificia in honorem sanctissimi Spiritus, cum primum nuntiaret incoepa illa discussa, & eum turbinem præteruectum.

*Quam ille
formidaret
sacros honores,*

Non

Non multa prece opus erat apud Ignatiū: *B. Ignatij
constantia in
arcendis a se-
ciatate hono-
ribus.*
qui quanquam Episcopos duos ē suis in Æthio-
piam mittendos, & Patriarcham designari sub
idem tempus permisit: quod nec alij, qui in bar-
baras illas solitudines mittere vellent, reperiēban-
tur: nec ibi regendæ, sed de integro fundandæ e-
rant Ecclesiæ; tamen pristina seueritate obseptas
in Europa honoribus fores volebat esse. Marti-
nengi collaudauit studium, sed spem ei omnem
præcidit. Nam nec ante in laio, nec nuper in Frā-
ncisco Borgia, quem Cardinalem Imperator Caro-
lus deposcebat, Societatis rationes vbi audiuit,
censuisse Pontificem ab sua illam humilitate ex-
trahendam. Ad extremum, pro sua erga Ordinem
hūc pietate ipsummet orauit, vt eius partes apud
Ferdinandum potius tueretur. His Martinengo
perscriptis, animos eorum in Vrbe, quos existi-
mauit ex vsu fore, præoccupauit: & ne quod for-
te clanculum à Pontifice iussum eliceretur, vnde
vis Canisio fieret, pro sua vigilantia iussit Theo-
logos diligenter exquirere, si repentina eiusmodi
denuntiaretur necessitas, fas esset nec ne, tempus
sumere ad edocendum Pontificem. Cumque
Theologi prorsus ius, fasque id esse: cumq; laude,

ac præmio apud Deum fieri posse respondissent, etiam Canisium monuit, si fortè ultimus ille casus incideret, oblatas Pontificis literas obsequenter utiq; acciperet, capitiq; in obedientiæ signum imponeret: ceterum habere se adiiceret, quæ ante rei effectum interesset à beatissimo Patre cognosci. Respirauit ad hunc nūtiū Canisius, eo præsertim, quod tam bene animatum, & constātem perspexit Ignatium. Non tamen sollicitudo plane deteresa est, quin ad eò ex integro rediit, cum Martinengus Vienna decessisset. Acrius quippe instauratum certamē est apud Cardinales multos, & Pontificem ipsum, regio Romæ Procuratori Iacobo Lasso, magni præmij, nempe confimilis honoris, vel etiam amplioris, oblata spe, si rem ad exitum perduxisset. Qui cum pro recenti degustata spe, veteriq; studio Regi placendi conniteretur, nec apud Rodulfum Cardinalem Carpensē ad quem literas dederat Rex, nec apud alios quicquam patrociniū inuenisset, ad extremum ad eū dum fidenter tentandumq; Pontificem censuit. Sed id modo est consequutus, ut clementia erga minimam hāc sodalitatē sanctissimi Patris (Iulius is erat hoc nomine tertius) clarissime, si vnquam,

*Nonacerta
mina de Epi
scopatū Ca-
nisij.*

*Iulij III. Pon-
tificis in So-
cietatem be-
nignitas.*

quam, patefceret. Primo enim respondit cupere se vehemēter regiae voluntati gratum facere, nolle tamē societati dolorem afferre: quare cum Præposito ageret: simul ille consentiret, nihil in secunctationis futurum. Cumq; Iacobus subiecisset, sanctissime Pater, certum est Præpositum minime consensurum, significans per imperium, ac potestatem agēdum, adiecit Pontifex, At nos horum Patrum indigemus opera; quare consilium non est eos contristare. Ineatur via, qua citra Episcopalem honorem Viennensi Ecclesiae opitulati queant, & operam ultro nauabunt. At certe, inquit Iacobus, administrationem suscipiat Canisius, quoad sufficiatur Antistes. Id quoq; ad Ignatium reiecit Pontifex. Tanti auctoritatem beati Patris faciebat. Ignatius verò tam pio, deq; societate merito Regi negandū minime putauit, quin administratio illa in annum, extra pecuniarias rationes, susciperetur. Monuitq; Canisium vt iugo illi ceruices pro gloria Dei supponeret. Vehementer ab eo quoq; refugiebat Canisius non laboris sane fuga; sed cum studio submissionis, sanctæq; obscuritatis, tum maxime quod tempora erant talia, vt laqueos conscientiae suae vndiq; obiectos

*Notum, &
maximum
certamen de
Episcopatu
Canisij.*

videret: nec viam dispiceret euadendi. Itaque nullo fructu publico sentiebat in perpetuo agendum sibi angore, in perpetuis moribus scrupulorum.

Tamen obtemperare paratus erat: cum tertium, & grauissimum de Episcopatu ipso certamen redintegratur, ubi Pontifex nouus Iulio Tertio Paulus Quartus successit. Res adeo pro confecta habebatur Viennæ, ut passim plerique Aulicorum, & Procerum, qui res maxime nosse putabantur, vulnerarent aures Serui Dei, certas iam, traditaque ei insulas gratulantes. Angebatur ille intimis sensibus, & cum suspirio ingeminabat, Ad dignitatibus liberet pauperes suos Dominus Iesus Christus Crucifixus. Accumulare apud eundem Dominum preces, ac vota, & apud Ignatium, supplices commendationes non desinebat. Nec ex nihilo ea Viennæ fama, & Canisij formidore erat. Quippe ipsa in Vrbe nuntiatum Patribus est, Ferdinandum, cum institisset à Pontifice Paulo, ut iuberet illum à Canisio honorem suscipi, id quod petierat, impetrasse. Quo accepto nuntio Ignatius ad Cardinalem Carpentem, quo tum Patrono societas vtebatur, aduolat. Cardinalis bono animo iussit esse. Modo, inquit, Canisius ipse

con-

constans in renuendo perstet, in me recipio Pontificem ne utiquam vim allaturum inuito. Scribat ad Pontificem, quæ pro sua causa habebit, antequam munus admittat: cetera mihi curæ erūt. Quæ cum significata essent Canisio, & immobilem constantiam obtineret, noluit summo iure uti Rex. Itaque seculi eius anno quinquagesimo sexto Iacobum Lassum admonuit, ut tandem, quando de sententia dimoueri nullo modo Canisius posset, vigendi eius negotij curam omitteret. Iacobus eas ipsas literas Ferdinadi, quas etiam nunc habemus, Patribus dedit. Polancus iucundissimum exitum Canisio cōfestim significauit: isci velut triumphans rescripsit, continuo, quæ spondederat, Euāgelia sacrificiorum septem persoluturum. Annos quatuor sollicitum negotium tenuit, quo à nobis semel exposito, ad institutam feriem temporum stylus est reuocandus.

Nouus iam annus affluxerat quartus de eo seculo, & quinquagesimus. Eius anni principio, quod pridem Ferdinandus Rex postulauerat, cōcedendum fuit, ut Canisius in Collegium Archiducum Viennæ migraret, alter Parentum (ita dicitur Praefatus London) in cōsulturus. Professores disci-

1554.

*Praefatus
Collegio Ar-
chiducum.*

disciplinarum variarum septem agebāt in eo Col-
 legio, & aliquot præterea studiis operati. Magna,
 religiosi Patris præsentia, morum commutatio
 facta est: magna ad quietem, & tranquillitatem
 accessio: ille tamen breui persensit commoratio-
 nis eius pretium non extare. Ante omnia perinui-
 tus carebat sociorum sancto, simplici que conui-
 ctu, miro desiderio religiosi claustrī, ex quo extru-
 sus, ac relegatus sibi videbatur: multoq; maluisset
 Coquo inter suos minister latere, quam eo loco
 spectandus præesse. Itaque, cum valetudo cœpisset
 nutare, suaferunt Medici Ferdinādo, vt ad eam
 confirmādam, potestatem faceret ad Collegium
 remigrandi. Qua primo certum modo in rem-
 pus potestate facta, illud quodque postea impetra-
 tum est, ne cogeret eodem reuerti. Nec explicari
 potest quanto inde Canisius animi gaudio, tan-
 quam à tempestate ad portum, à ferro ad templū,
 vt ipse loquitur, se receperit. Vltima nimis in va-
 letudinis erat causa: religiosæ quietis amor, reli-
 giosi claustrī custodia, religiosi spiritus conservā-
 di proprie ducebat cura. Hoc tempore Decanus
 Academiæ legitur, cum in eius corpus anno supe-
 riore cum Gaudano, atq; Nicolao Lanolo coo-
 ptatus

Creatur De-
 canus Aca-
 demie Vien-
 nensis.

ptatus esset. Eodem tempore, & Academiae corrigendae, & discipulorum recognoscendis, emendandisq; contuberniis (Bursas vocant) iussu Regis occupabatur. Qua in re nulla maior difficultas incidebat, quam ex administratorum idoneorum inopia, qui, quae prudenter decernebantur, ad usum mox, & in mores sedulo reuocarent. Nec tamen inter haec aut dictionem ad Regem, atque ad populum, aut scholas in Academia, aut stylum deniq; vnquam deponebat, concinnando maxime Catechismo intentus. Vt autem non laboribus modo, ac gemitibus suis, verum etiam & alienis, & absentium auxiliis diuinam causam tuleretur, exorauit à beato Ignatio, vt praeter alia pro cuiusq; arbitrato placamina, pro sitis ad septentrionem Prouinciis tota in societate in omne tempus, quando calamitates Ecclesiarum illarum manerent, *Impetrat perpetuas à tota Societate preces pro Germania.* singuli sacerdotes semel in mense sacrificium, ceteriq; socij certas preces offerrent. Quod quidem cum etiam num sparsa societate, per omnes gentes perseveret, meritum ~~Canisij~~ in Germaniam, sane luculentum censeri debet, vt etiam in ultimo oriente, & occidente inter barbaros noui orbis pro ea preces, & sacrificia fiant. *Idem vchemē-*

M

ter

rer optabat, ut in societate, quandoquidem Iesu sanctissimo nomine gaudet, aliter extra Circumcisionem sanctissimo ei nomini venerando dedicaretur: quod cum Patribus Romanis tentandum minimè visum esset, institit ut singulare aliquod in eum diem societas, quo incitaretur ad maiorem grati animi pietatem, à summo Pontifice beneficium impetraret. Adeo totus erat intentus excogitandis rationibus, quibus Dei gloria, Christi que nomen inter domesticos, & exteros, demum inter omnes fieret illustris.

*Catechismus
absolutus.*

Interim, quem scribendum Rex imposuerat Catechismum, absoluerat, tum sua sponte instans operi, tum quia ipsemet Ferdinādus nullum faciebat festinandi, urgendi que modum, cuius monitu, quæ testimonia è sacris libris, Patribusque sanctis afferrebantur, eorum fontes ad librioram indicavit, quo promptiores ludimagistris, aliisque minus doctis adire volentibus essent. Mirifice enim opus illud ex gustu oblatae partis probavit Rex: sperabatque, cum res adeò testatae traderentur, multos per inscitiam lapsos eo præsidio agnituros errorem, atque in rectum tramitem redituros. Quæ causa fuit deinde etiam Petro Buzio de socie-

societate Theologo, cui, propinquoq; Canisij, vt
constaturum censeret pretium operæ, si toti pro-
ferrentur, & vnum sub aspectum subiicerentur ij
loci; depromptosq; & explicatos Catechismo ad-
iecit: vnde in volumina quatuor (quanquam in
vnum deinde in magnum corpus redacta) opus ex-
creuit, apprime ad euersionem errorum, & firma-
mentum veritatis potentia, vt experimēto com-
perisse se Neuburgicus Princeps VVolfgangus
VVilhelmus, &c. religionē sapientiaque, non
modo dignitate, & opibus præstans; lectionem
eorum commendans in libro, quem edi cura-
uit proficitur. Verosimile non est quantum in
scriptione illa Canisius curæ, studijque posuerit.
Pro sua enim de se infima opinione diffidens sibi, *Quia cura
usus in eo
condenda-*
omni primum ope conatus est totum onus ex-
cutere: deinde, vbi id nec à Rege, nec ab Ignatio
datur, multas ad Deum preces, multa sacrificia,
caeleste auxilium, & lumen expostens, cum fecit
per se, tum à beato Patre, ac sociis corrogauit. Po-
stea recognoscendum, corrigendumque opus
cum aliis tradidit, tum misit in Vrbem; sic tan-
quam nihil mallet, quam de suo nihil relinqui.
Sed nimirum exactum ingenium, ac permode-

sum, quo minus sibi, hoc ceteris cumulatius faciebat satis. Respondere enim Romani Patres res, dispositionem, elocutionem, iudicium, denique cuncta plene probantes: adfuisse ei in labore illo propitium Deum, ut idem placeret pariter, ac prodesset. Neq; equidem ambigam, quin euentu postea tam felici, tantoq; religionis orthodoxæ, ac pietatis emolumento per Prouincias omnes Christianæ illa disseminata sit doctrinæ summa, (hoc enim magis, quàm Catechismi, auctori placebat nomen) quod non solum mente rectissima primo susceptus est labor, sed etiam inter ipsum laborem summissione animi, continuaque, ac multiplici precatione conciliatum est adiutorium Numinis. Hoc anno primum edita est ea summa. Quid autem tum animi esset Canisio, ipsemet Ioāni Polanco narrat his verbis. Mecum velut cum parturiente agitur. Non possum non esse anxius, quandiu partus non exierit in lucem, ut Dei conspectui possit fœtus offerri, atq; consecrari. Vestris interim precationibus promouete successum, ut quo cœpimus, eodem aspirate, absoluaumus debitum hoc Deo, vobisq; tributum. Dominus Iesus in suam gloriam conuertat hanc

men-

Quid sollicitudine ediderit.

mentis meæ trepidationem. Expertus didici quā
 procul ab sim ab iis, qui recte scribere, & scripta e-
 dere norunt pro dignitate. In hac editione prima
 noluit suum nomen apponi; primum, quod exi-
 stimabat plus operi auctoritatis futurum, si edi-
 tum ferretur Regis Ferdinandi iussu nullo Scri-
 ptoris adiecto titulo. Nimirum ne suo nomine
 (adeò sese despiciebat) opus obscuraretur, & im-
 pediretur utilitas publica formidabat. Deinde ut,
 si quid inde celebritatis cooriretur, ac laudis to-
 tum rediret in autorem, & opificem Deum, de se
 autem ut infimo, & inutili administro penitus si-
 leretur. Postremo ut minore esset Hæreticis cum
 operis, tum hominis mordendi licentia. Eam In-
 stitutionem simul primum edita est, Ferdinan-
 dus per omnes Imperij sui Prouincias spargi, & in
 vernaculum cuiusq; Prouinciæ Idioma conuer-
 sam, exclusis ceteris Catechismis, publice in scho-
 lis, gymnasiisq; tradi iussit. Sæpius deinde est edi-
 ta, ipso præscripto Canisij primo ignari, postea cū
 latere non posset, minime repugnantis nomine,
 præclaroque diplomate Ferdinandi adiecto. No-
 tius est quam ut sit à nobis prodendum, quanto
 ubiq; consensu, quanta approbatione catholico-

*Quare nomē
 suum primo
 non appo-
 nit.*

*Quam pro-
 batum, & late
 sparsum sit.*

rum, quanto Hæreticorum fremitu, strepituque (quæ commendatio est certissima) quanto demum, quod caput est, religionis profectu recepta sit. Louanienſes quidem Doctores publico approbauere ſuffragio. Quippe cum Philippus ſecundus Hiſpaniarum Rex ad præmuniendos in Regnis, atque Prouinciis ſuis puerorum animos, Catechiſmum & ipſe Catholicum ſtatuiffet edendum, ac doctos Theologos, vti muneris ſuſciperent grauitè hortaretur, illi nullum commodiorem librum tradi poſſe, nec magis vtilem affirmarunt, (verba ſunt ex edicto Regis ipſius Philippi) Catechiſmo patrui eius Ferdinandi Romanorum, Hungariæ, & Boëmiae Regis, quem ille haud ita pridem ſua autoritate ſuis tenendum propoſuerat: itaque cum autoritate ſua item Philippus anno 1557. recepit: omnes populares ad eum legendum exhortans, veranſq; per Ludimagiſtros, Rectores, ac Pædagogos in ſcholis publice, vel priuatim alium præter illum ediscendum proponi. Nulla ferre Chriſtianæ gentis eſt lingua, in quam verſa non ſit ea ſumma, & quæ Caniſius tanquã orbis Chriſtiani publicus Catechiſta non loquatur. Elaborauit deinde (vti infra quoque in loco

loco significabitur) compendium brevius par-
uulis duntaxat accommodatum: & primam il-
lam sæpius recognitam summam, tandem supre-
ma quasi apposita manu, graui disputatione de
primi hominis lapsu, deque Iustificatione addita
anno salutis humanæ, 1566. euulgauit. Quode
opere, si cui cura sit plura nosse, præfationem pla-
ne sapientem adeat editioni illi præfixam, quam
senatui, populoque Coloniensi inscripsit. In ea-
dem & Ferdinandi, & Philippi perhonorifica li-
cebit edicta reperire.

Ceterum quantus statim Hæreticos ab Cani-
sio terror inuasit, vel inde fit palam. Albertus
Bauariæ Dux in Conuentu, quem Landeshutæ
habebat, cum nobilium quidam, comperto la-
borare Principē difficultate pecuniæ, occasione
temporis vtendum rati efflagitare coepissent li-
beram Lutheranismi professionem prodita reli-
gionis mercede collationem vendituri, magno
Christianoque pectore impia postulata reiecit.
Tum Hæretici causam repulsæ in Cancellarium
Bauariæ, & in Canisium contulere; quem iam
vulgo Canem Austriacum vocitabant, haud sa-
ne profusum merito. Erat scilicet non mutorum
Canum

*Canisius per-
rori Hære-
ticis.*

*Canis Au-
striacus
vocat.*

Canum è numero, qui latrare non valent, sed qui vigil ad excubias, fortis ad pugnam ab ouili sancto Domini luporum rabiem arcens, longe omnia, lateq; voce sonora salutiferoq; latratu complebat. Viennæ quoque cum quidam è corpore Professorum sapientiæ, hæresis crimine datus esset in carcerem, reus agebatur Canisius, qui regio iussu doctrinam hominis explorarat: ac breuiter, quicquid pro religione fortius decerneretur, tanquam immanis, ac ferus, tanquam perturbator publici status lacerabatur Canisius. Verè enim S. Ambrosius, semper, inquit, Christi laudes verba perfidorū sunt: & nunc cum laudatur Christus, dicunt Hæretici quia seditio commouetur. Dicunt Hæretici quia his mors paratur: & verè mortem habent in laudibus Christi. Porro Canisij odium apud nouarum superstitionum Magistros, ac defensores vsque eo processerat, ut boni censerent tutum ei non esse tentare iter per Austriam. Sed ille odium eiusmodi reponens in beneficio, Deoque gratias agens, quod gemina illa sanctorum propria dote recta simul perpetrandi, & iniqua perpetiendi, aliqua ex parte se quoq; dignaretur, quoties obiectarentur pericula, respondebat.

Or. de trad.
Baf.

Etiam constan-
tia.

debat. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Nec ab officio constâtis Prophetæ vlllo vnquam incommodi sui metu est retardatus. liberrimè semper & pro concione, & priuatim, quæ censuit ad conscientiam Regis pertinere, ei subiecit.

Inter cetera persuasit hoc eodem anno, antequam ille Pragam abiret, vt, quoniam res appar-
bat vsq; magis in præceps ruere, aliquot prudentium virorum consilia seriò cōferri iuberet; causasq; exitij, & remedij vias peruestigari. Quam consultationem cum ipsi Canisio, & Collegij Rectori Nicolao Lanoio, duobusq; consiliariis suis admodum Catholicis demandasset, & Canisius ex Vrbe quoq; ab Ignatio opportuna ad eam rem consilia poposcisset, & accepisset, vix quicquam ultra processum est. Cum veniendū erat ad rem, *Austrie pessimus status hoc tempore.* timebantur tumultus ac defectiones: & alienior eo videbatur seueritas, quo maiores Hungariæ clades per eadem tempora Turcæ alias super alias inferebant. Cū tamen sapientissime Magnus Leo pronuntiet, Res humanas aliter tutas esse nō posse nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & regia, & Sacerdotalis defendat autoritas. Catholicorum Pastorum tanta premebat inopia, vt Ca-
N tholici

*Quæ pro religione inter-
rim molitur.*

*Austrie pes-
simus status
hoc tempore.*

Ep. ad Pulch.

tholici Episcopi satius putarent ab Religiosis castris profugos Cœnobitas, & Presbyteros concubinis implicitos permitti, quam omni plebem factorum usu priuari. Obseruauerat Vrbanus Labacensis Antistes totis annis viginti Ciuium Viennensium neminem sacerdotem factum. Denique peruaferat apud plerosq; opinio, catholicam rem in iis Prouinciis pariter cum Ferdinando occasuram: quem ipsum ab vno Canisio, & Iesuitis, & Labacensi Episcopo suffulciri, in eaq; sustineri dictitabant. Ad supplendum aliqua ex parte Pastorū desiderium existimabat Canisius complures per deserta illa Ecclesiarum Apostolicos Legatos spargendos. Ad iuuandam quoque nobilitatem, conuictorum adolescentium instituendum contubernium: sic enim & parentes conciliati posse, & ipsos pueros aduersus corruptelas Hæreticorum præmuniri: sic & reliqua contubernia, quæ iam condita erant, facilius emendatum iri. Quod Ignatius consilium pro loci necessitate cū probasset, subinde cum iam in sede propria, ac sua Collegium habitaret, & non nulla ædium facultas suppeteret, initium factum est: ipseq; Pro-cancellarius Iacobus Ionas, & alij nobiles suos in

con-

conuictum liberos primi tradidere. Ergo in tanta temporum labe, & corruptione, præcipitiq; quodam lapsu, ac potius furiosa ruina in hæresim, apparet quantum Austria beneficij à Deo per Canisium acceperit.

Eodemq; tempore in alienas quoq; Prouincias, atq; regna per eius nomen, & operam Deus societati aditum præparabat. Nam Strigonienfis Archiepiscopus in Hungaria, Transylvanus in sua Prouincia Collegia offerebant: & instabat Vratislauienfis apud Regem Romanorum, & Nuntium Apostolicum per literas, & Legato missio. Ad hæc Martinus Cromerus (cuius extant de Polonia rebus laudatæ Historiæ) cum Legatus à Sigismundo Rege ad Ferdinandum venisset, Canisij captus sancta, docta q; consuetudine, cognitaque societate, eam Polonis Principibus, maximeque Stanislao Hosio Varmienfi Episcopo, posteaque Cardinali plurimum commendauit. Atque Hosius vt erat vir egregie doctus, & ardens studio religionis, iam tum in cogitationem venit Societati Collegium excitandi in sua Diocesi; & Canisium ita diligere, facereq; tanti cœpit, vt eius consilia multum exquireret, præsertim de operibus,

*Spargitur
Societatis
fama per
Canisium.*

*Stanislao
Hosio con-
ciliatur.*

*Peritor eius
ac zelus ma-
ximus.*

quæ moliebatur: & opera ipsa ad eum recogno-
scenda mitteret. Nimirum facillimè pares, vtest
in veteri prouerbio, cum paribus, præcipueque
Christiani sapientes inter sese conglutinantur.
Hoc autem aditu præcepto Canisius iam non in
Poloniam modo, & Lituaniam, sed etiam in Mo-
schos, vltimosq; Scythas, ac Tartaros, & inde por-
ro vsq; in Sinas, ac totum Orientem suæ caritatis
amplitudinem, & immensam Christi gloriæ cū-
ctis gentibus prædicandæ cupidinem extende-
bat, magna voluptate beatum Ignatum, cæteros-
que replens Romanos Patres, cum capax illud
gentium omnium, & ærumnorum omnium pe-
ctus in literis eius intuebantur. Sed, dum terrarū
vel vltimis finibus imminet, omnium acerrimè
ad sese Albertus Bauarus, ob eam causam etiam
Henrico Scouickero, quo utebatur à secretis, in
vrbem misso, euocabat. Itaque & aliorum, & eius
maxime contentione commotus Rex Ferdinan-
dus, veritusque ne propugnaculo Vienna tali nu-
daretur, per studiosas ad Ignatium literas dedit, ne
quem inde Doctorum auocare, sed eorum po-
tius augere numerum placeret; simul opportuni-
tatem ostendens rei bene gerendæ in ea Acade-
mia,

mia, ad quam tanquam in regionum earum vmbilico positam vndiq; accurreretur, simul suum in omnia patrocinium Societati deferens : quod planè vberius re, quam pollicitatione præstabat. Quo loco iuvat gratulari bonitati diuinæ, quæ Principum illorum mentibus tantum religionis studium, tamque pulchrum certamen immitteret. Dum autem ita consulitalienis Canisius, non plane suos obliuiscébatur. Othonem fratrum ex Nouerca minimum natu ad obsequium Dei (Viennam puer ad Burcardum Auunculum venerat) omni ope pellicere studuit. Sed frustra fuit labor in eo. Non item in Theodorico eiusdem maiore germano; qui cum Colonia sub Leonardo Kesselio diuini famulatus concepisset igniculos, Viennam venit, & confirmatus à Petro per autumnū missus est Romam ad Tyrocinium. Optabat & Nouiomagi Societatis domicilium condi, & spē bonam erat ingressus, quod Virgo illa suæ Nouercæ soror moriens ædes ad eam rem quasdam legarat. Sed hominum certorum superuacua, & improuida nimis cautio operis cursum interrupit, ita vt hodieque careat Nouiomagum Societate.

*Theodoricus
Canisius So-
cietati ad-
iungitur.*

Anno 1555.

Inter hæc nouis in dies victoriis Viennensem Ecclesiam tutabatur, cum anni millesimi quingentesimi quinquagesimi quinti vere Kal. Maij Hieronymus Natalis beati Ignatij missu Visitator Viennam venit; & Constitutiones quas iam per Hispaniam, & Italiam promulgarat, in eo quoque Collegio promulgauit, declarauitque. Plurimum acer ille veræ laudis æstimator delectatus est virtute, industriaq; Canisij; quem beato Ignatio dilaudans, eius præcipuè factum laboribus per eos ipsos dies, & concionibus narrat, vt sacerdos, qui erat inter Lutheranos verbi Minister, non solum ad Catholicos rediret, sed etiam Societati se traderet: vtq; alius prænobilis, & gratiofus concionator, qui & prouocatus ad disputationem erat, non ausus congregari, repentina fuga se eriperet; vnde & magno Vienna periculo liberata erat. Idem & Canisij facultatem, & locorum necessitates considerans, autor ei fuit, vt complures libellos, quos nominatim proponebat, ad vsum pietatis scriberet, ederetque. Magnopere Canisius quoque lætatus est Visitatoris aduentu: vt semper gaudebat animæ suæ res cum Præpositis communicare, tantus licet Magister pro tyrone se ge-

*Petrus in be-
sur pios li-
bellos scribere*

se gerens: & quia, quæ de more solent adficere
 Professi Societatis vota simplicia, non dum emi-
 ferat, ea Natali suscipiente concepit: vnde intelli-
 gitur ad huc nulla voti religione obstrictum; sed
 libera pietate oblatiis honoribus obstitisse. Nec *Pragam adio-
res ad Colle-
gium para-
turum.*
 longo interiecto tempore Pragam à Ferdinando
 Rege iubetur adire, vt ad Collegium inibi extru-
 endum vtilia præpararet. Cùm enim priore an-
 no Pragam abiisset Ferdinandus, tum admonitu
 Labacensis Episcopi, tum Viennensis Collegij
 inuitatus successu, decreuit in aliquo per Boë-
 miam desertorum Cœnobiorũ Societatem col-
 locare. Quod cum Canisio prompsisset, is nus-
 quam commodius ad publicos vsus, quam ipsa
 in Vrbe Praga statui posse demonstraui, facileq;
 persuasit, commodum per id tempus, cum maxi-
 me Philippus Melanchthon, dira Germaniæ pe-
 stis, tentabat in eam urbem ingressum, meritissi-
 moq; reiectus est. Igitur quamuis tam malè erga
 se animatos Hæreticos Canisius probe nosset, ta-
 men peregrinationem in Boëmiam & magno a-
 nimo Deo fretus suscepit, & sospes eodem duce
 peregit. Exceptus est Pragæ à bonis omnibus gra- *Praga com-
tionalur.*
 tulatione summa, & protinus in suggestum ascē-
 dit:

dit: fauente ante omnes Archiduce Ferdinando, qui rebus præerat, eiusq; concionibus mirificè tenebatur. Dumq; sedulo occupatur in Domo Dei, quæ est Ecclesia sancta, cum verbo salutis, tum religiosis exemplis ædificanda, multum negotij, molestiq; exhaustit in concinnando Collegij domicilio. Attributū erat in eam rem Coenobium sancti Clementis, opportunum situ, sed male materiaturum, ac vetustate, neglectuq; ruinofum: atq; benignitati Principum in suppeditandis ad id faciendum & scholas instruendas impensis Præfectorum, vt fere euenit, fastidia maligne respondebant. Bonam autem de Pragensium indole spem concepit. Nam præ se ferebant ingenia ad pietatem accommodata. Hussitas verò (quæ Pragæ maxime secta grassatur) terror tantus incessit, vt haud sine tumultu excepturi viderentur nouam familiam. Increbuerat vulgo rumor, Iesuitarum pene exercitum acciri ad disputandum cum Hussitis. Quam rem eo tum peius oderant, quod inter ipsos magna doctrina nemo extabat: itaq; vexandos se, ludibrioque habendos suspicabantur. Quam opinionem nō apud eos solum lenire Canisius ac diluere conabatur, potius vêturos nuntians,

*Pragensium
bona ad pietatem
indoles.*

tians, qui cum omni mansuetudine, atq; humanitate instituendæ iuuentuti operam darent, eademque clementia, & pietate commoditatibus omnium inferuissent; sed etiam dum colonos ab Ignatio postulat, Vellem, inquit, vt omnes, qui venturi sunt ad hoc Collegium fundandum, accederent optimè armati sancta patientia, & maximo ardentibus zelo non ad disputandum, sed ad tolerandum; & ædificandam hanc Prouinciam magis factis, quàm dictis, vt, cum seminauerint in lacrymis in exultatione metant, & reportent manipulos suos.

Quales cuperet Socios Collegio Pragensi.

Æstate exacta Pragæ, ad ultoq; iam autumnum migrandum in Bauariam fuit. Ab Socero Ferdinando, qui ad Comitiam Augustam concesserat, Dux Albertus, quod per literas non expugnarat, coram præfens elicuerat, vt Canisij tantisper copiam faceret, dum de Collegio Ingolstadij statuendo transigeretur. Pragensis nobilitas, credi vix potest, quanto cum dolore hominem ab se se dimiserit. Dederunt ad Ducem Albertum literas, quibus enixe rogabant, vt eum primo quoque tempore sibi restitueret. Vt Monachium venit, ~~atq;~~ Albertus Consiliariorum è primis cum eo Ingol-

In Bauariam excurrit.

golstadium ire iussit: atq; in re præsentī delibera-
 re, atque conficere de Collegiis duobus, altero So-
 cietatis, altero pauperum quindecim, qui Theo-
 logicis disciplinis perficerentur continuò excitā-
 dis: quam ad rem iam olim Guilielmus à summo
 Pontifice quasdam decimas exorarat. Ingolstadij
 librum reperit editum ab Hæretico, in quo ipse
 tanquam Princeps, ac Pater Sectæ Hypocritarum
 describebatur, & ridebatur. Risit & ille, seu potius
 defleuit cœcitatē Scriptoris, & impudentiam.
 Dum autem res Collegij paulo extrahitur lon-
 gius, more suo cessare nescius, de superiore loco
 agere cum populo cœpit: dumq; & Consiliario-
 rum votis, & concionis frequentiæ obsequitur,
 bis in die dicendi laborem integrabat. Instituit &
 ad Iuenum manipulum, qui sacerdotium me-
 ditabantur, priuatim perutiles scholas. Ad hæc, ut
 nihil despicit, nihil non excogitat ingeniosa ca-
 ritas, quo hæreticas artes eluderet, rudimenta
 Grammatices, quæ P. Annibal Codrettus com-
 posuerat, germanicè conuersa euulganda cura-
 uit, aliquot ad calcem sententiis ex Catechismo
 subiunētis. Epistolas quoque & Euangelia sacris
 diebus inter Missam recitari solita, quia non in-
 uenie-

*Ingolstadij
 bis in die con-
 cionatur.*

*Variisq; ge-
 neris libros
 recognoscit,
 adque.*

ueniebantur nisi ab Erasmo Roterodamo conuerſa, ex editione probata optimis characteribus item excudenda curauit. Precationes ſelectas adiecit, vt quasdam excluderet per vulgum ſparſas, quę nullũ Catholicę pietatis ſaporem habebant. Alios demum libellos proximis annis haud incorrupta fide editos recognouit. Rem Collegij potius vt potuit, quam vt volebat, tranſegit. Multas enim conditiones requirebāt Conſiliarij Principis, in quas durum erat cōſentire & obnoxiam facere diſciplinam. Quare omnia ita recepit, vt integra vellet beati Ignatij arbitrio reſeruari. Et Ignatius cum edouiſſet Albertum, quid rationes condendorum Collegiorum ferrent Conſtitutionum de ea re miſſo capite, maluit de cetero rem totam conſilio eius, pietatique permittere liberali fiducia, quam in conciliandis pactis odioſius altercari. Quę grata fuit Principi bonitas: eiufq; ac poſteriorum benignitas omnia, q̃ expeti poſſent, laxiora fecit. Et quidem diuinare viſus eſt Albertus Collegij eius incrementa. Cum enim ad Ignatium ſcripiſſet ſacroſanctę religionis aſſictiſſimum ſtatum, & populorum ſuorum miſerrime errantium ſalutem exigere, & efflagitare

*Ingoſtadina-
num Colle-
gium quomo-
do ſuſceptum*

non solum Doctores in gymnasiis, sed etiam Cō-
cionatores ad populum, hæc adiungit, Accelera-
te igitur pro vestris officio, votoque oues perditas
quærere, & ad gregem dominicum reducere; o-
perarios bonos (qui præsentī seculo paucissimi
sunt, & vbiq; locorum desiderantur) educare, at-
que in messem tam copiosam mittere. Ad hoc
sanctum Deoque gratissimum opus vos pro no-
stris viribus re, & opera benignissimè fouebimus,
& tuebimur. Ac breui futurum speramus, vt hoc
vestrum apud nos Collegium (si iam bona prin-
cipia iaciantur) in immensum crescat, augeatur,
splendideq; à multis adhuc bonis viris dōretur.

1556.
Redit Vien-
nam.

Inter hæc Ferdinandus vrgebat vt Canisius
Viennam primo quoq; tempore se referret. Insta-
bat enim conuentus Imperij Ratisbonæ, & agen-
dum de religione opinio erat. Qua de causa Vien-
nensi Academiæ mandauerat Rex, vt quasdam
propositiones vtilēs ad eam rem colligeret. Igi-
tur, cum & Canisij vellet manum accedere, is nō
nulla obiter bonæ frugis semente Augustæ quo-
que Vindelicorum facta, ipsis Februarij Kalendis
anni recentis Viennam peruenit. Per breuis fuit
mora Viennæ. Quamquam enim tempestas anni
sæuis-

ſæuiſſima quietem ſuaderet, vrgebat tamen caritas Chriſti vt nuſquam niſi in Cruce quietem vellet. Ergo eo perfunctus opere, cuius maxime gratia venerat, aliisq; raptim compoſitis rebus, eiufdem exitu menſis cum literis Regis Pragam diſceſſit, Collegio quod propediem expectabatur, quæ reſtabant neceſſaria paraturus. Multum de-
nuo difficultatum primordia vt illa adornaret, atq; moleſtiſſimi tædij exorbuir: additamentum laborum, quos multiplex Catholicæ cauſæ procuratio, & ad ciues aſſidua, frequens ad Archiducem Ferdinandum dictio cumulabant. Apud hunc etiam latinè feria quinta hebdomadæ ſanctæ iuſſus diſſerere, ſe ipſo præſtantior viſus eſt. Non poterant non dolere ſucceſſu Huſſitarum
feruidiores: quorum è numero fuit, qui & argutulus vellet videri vulgato verſiculo, Hinc procul eſto canis, pro nobis excubat anſer. Ad veterem enim alludens de Capitolio Romano, cum dormirèt Canes, excubiis anſerum liberato, famam, quia Huſ Patriarchæ ipſorum cognomētum anſerem ſignificat, eo contentus, abeſſe Canem volebat. Nec animaduertit verſificator, quanto faciliorem non ludēdi, ſed vere canendi materiam

Tam Pragā.

Huſſitæ enim ſam in eum verſum.

præbebat Catholicis, cum sit anser stridulo clangore ingratus, spurcitia infamis, qui appetere putra dicatur loca, sed nullum vbi fuerit, purum relinquere: contra verò tot nominibus commendetur Canis fidelitas, & custodia: idemq; sanctissimorum virorum Bernardi, atq; Dominici claritatem in verbi diuini prædicatione, & Christiani gregis tutela diuinitus præmonstrarit. Nam sancto gregi Agnorum, & Ouium, anserum ne, an Canis excubiæ conueniunt? Quid igitur negotij erat operoso hexametro, senarium pedestrẽ subscribere. At, qui Canem odere, haud oues sunt, sed lupi. Non pauci quoq; anserino de grege, qui volebant doctiores, & sagaciores haberi, aiebāt Canisium, ac ceteros Iesuitas vere esse homines doctos, sed per nimium studium erga Papam, quam nossent veritatem premere, ac nolle populo euulgare. Canisium vero nominatim, quanquam subinde nonnulli è fece plebis petulanter incesferent, vt aliquando etiam sacrificans per templi fenestras lapidibus petitus sit, tamen & Hussitæ vulgo, & Iudæi amabant, & mirabantur. Tanta in singulari illa scientia morum lenitas, & modestia emicabat. Catholicorum autem erant non pauci,

*Est tamen
plerisque e-
siam Aduer-
sariorū mo-
destia ama-
bilis.*

pauci, qui grates agerent Deo, quod talis viri æta-
te vixissent. Archidux Ferdinãdus cum Rege suo <sup>At Catholicis
pro miraculo</sup>
parente certabat in præclara de eo existimatione,
& consiliis amplectendis. Admonitus vt renoua-
ri pristinum quendam Boëmiae morem iuberet
sub meridiem populum admonendi Campanæ
signo, vt preces faceret pro successu Ecclesiæ, &
belli contra Turcas, gratias Archidux egit ei, quod
tam honesta rogando, quid deceret Catholicum
Principem admonuisset; totaq; Boëmia instaura-
ri consuetudinem pulcherrimam iussit.

Quarto tandem Nonas Aprilis Collegij Pra- <sup>Prouinciatus
creatur à
B. Ignatio.</sup>
gensis incolæ peruenerunt: cumq; mox per æsta-
tem Ingolstadium quoq; alij peruenissent, acci-
pit Canisius à B. Patre literas, quando iam Vien-
næ, Pragæ, & Ingolstadij condita erant Collegia,
maturū esse Germaniam declarari Prouinciā.
Igitur, quod ad Dei laudem magnā cederet, &
Prouinciā institui, & fidei eius, curæque com-
mitti: quæ nō condita modò domicilia, sed quæ-
cunque in Austria, Boëmia, ac tota superiore Ger-
mania conderentur, amplecteretur. Nihil potuit <sup>Conditur mu-
nim arce.</sup>
fieri quod magis siue opinionem Canisij falleret,
siue obedientiam exerceret. Confestim rescripsit,
se qui-

se quidem paratum esse quacunq; posset ope sociis vniuersis famulari in rerum æque diuinarum procuratione, & humanarū. Ceterum per Deum obtestatur, nullū vt sibi Prouincialis, siue Rectoris munus imponat; sed planē omnium postremum, vt re ipsa sit, numeret. Enimvero periculosum esse, hominem perturbationibus agitatū, arrogantem, nullo iudicio præditum id officij suscipere; fierique aliorum ducem, qui necessario careat lumine, & idonea cū facultatis subsidia, tū experimenti requirat. Non deesse (& nominatim appellabat quosdam) qui cōmodius multo præfici possent. Denique, inquit, existimaui Pater, cunctos mihi fratres rogandos, vt suam de me quisque sententiam scripto explicent, & ad remittant. Nam profecto, si mea cum interiora nosces, tum exteriora vitia; quantumq; hæc Germania obtuderit me, ac secularem effecerit, potius misereris mei, maioremq; susceperes curam mei subleuandi precibus tuis; quas indignissimus licet assiduē cupio. Scripsere testimonia socij, sed qualia ille merebatur potius, quam volebat, plena commendationis, & laudis. Itaq; iussus est, De bonitate, confusus ceruicem iugo summittere.

Nihil

Nihil enim inde negotij plus habiturum, quàm ad hoc tempus habuisset: cum re quidem munere eodem fungeretur, sed accessuram duntaxat ex ipso titulo potestatis opem aliquā, & præcipuum diuinitus auxilium. Fuere tempestate illa Prouincialium munera non tam expedita, ac beata, quàm imperitis rerū cogitatio forsitan sua fingat. Nam etsi ardor vigebat in sociis primæuus, & Principum obsecundabat clementia; tamen, vt in primordiis rerum fieri amat, cum parati nihil esset, non tecta, non templa, non sacra suppellex, non familiare instrumentum, atq; hæc omnia, & ipsa vitæ subsidia non ex certis fundis, sed ex Principum voluntaria collatione per multas administratorū manus prope in diem perciperentur, profecto erant multo maiores molestiarum, atq; patientiæ, quàm annonæ prouentus, sociorum numerus perpusillus: negotia, & munera plurimæ eaq; grauissima. Plerique etiam in sociis tyrones sub tyrocinio prope nullo, ferme omnes alienigenæ, vt & consolatione, & institutione passim egerent, & diuina quadam Rectoris caritate, atq; prudentia. Ad hæc disciplinæ mores adhuc rudēs: legum paucissimæ cognitæ, nec dum expla-

P natæ

natae vsu, nec roboratae. Postremò ignota societas omnibus, exosa Hereticis. Tali statu Prouinciam, quam & ipse genuerat, moderandam suscepit Canisius. Quo autem prouexerit, quæ deinceps referentur, ostendent.

*Quo animo
prouinciala-
sum accepe-
rit.*

*Insignis obe-
dientia.*

Ceterum quo se minus rebarur idoneum, hoc industriam enixius, hoc ad omnem virtutem impetum magis contendit, ut quod facto opus esset prius agendo, quam præcipiendo, intentoq; potius digito, quam vocis sono monstraret. Dolebat in primis imminutam sibi obediendi materiam; & beatam, quam in obsequij sinu reperiebat mentis tranquillitatem. Vouerat olim, ut & proditum à nobis est, quod ad suum commodum, deq; vno in locum alium profectioe attineret, nihil vnquam moturum. Eius sponsionis ita memoriam, ita custodiam retinebat, ut subierit religio, simul ac renuntiatus est Prouincialis, ne contra eam facere aliquo pacto videretur, si quando pro suo munere quopiam accurrendum esset, antequam profectiois iussu ab Vrbe perferretur. Itaque rem omnem aperiendam beato Patri censuit, à quo omni liberatus est scrupulo. Nec tamē ille ad præcipiendum euectus, obediendi

vlllo

ullo modo exercitationem remisit, sed potius aux-
xit, vnde cunque captans alienę potius sententię,
quam suę sequendę occasionem: nec ægrius quic-
quam ferens, quàm cum vel ab Vrbe serius refe-
rebantur responsa, vel incidebant causę,
quę inde peti mandata non
finerent.

Finis Libri Primi.



DE VITA ET REBUS
GESTIS P. PETRI CANISII
E SOCIETATE IESV,
LIBER SECVNDVS.

*Abit Ingol-
stadium.*



Gitur Prouincia suscepta Viennensis Collegij per literas, Pragensis coram, statu composito, vt primum Archidux Ferdinandus potestatem fecit, qui & ipse eodem tempore in Pannoniam exercitui Imperator ibat, ex Boemia in Bauariam concessit, visurus Ingolstadiani Collegij incunabula. Vix autem substitit Ingolstadij, eodem tempore & agens ad populum, & domesticam disciplinam formans, vnicum mensem, cum Ratisbonam accitit. Decefferat Concionator Catholicus, & Imperij conuentus ibidem mox erat habendus; atque Hæreticorum cum turba maxima, tum rabies importunissima: ingentem minabatur stragem. Eas ob res illico accurrendum ratus, ostium reperit Euangelio ingens apertum, & aduersarios, si vsquam, plurimos

*Inde Ratis-
bonam.*

mos, & acerrimos. Vt primum diuina illa tuba è Hic concio-
natur magno
nomine. sacro tribunali personuit, gestire boni; multitu-
do simplicior commoueri, vocesq; audiri, si no-
uus ille Prædicator ita pergeret, vticoepisset, actū
esse de Lutherana re Ratisbonæ. Nimirum tanto Et pari odio
Hæreticorū. Hæreticorum pessimi quique efferari vehemen-
tius: nec modò probris, & contumeliis lacerare fa-
mam inuicti præconis, sed etiam turpissima fla-
gitia sanctissimo viro àpud vulgus affingere: & in
apertam fortasse vim erupissent: vel certe, quod
olim in Claudium Iaium ausi erant, expulissent è
ciuitate, nisi Procerum Catholicorum, qui ad
Comitia iam conuenerant, coërcuisset autoritas:
qui effecere apud Romanorum Regem, & Baua-
riæ Ducem per sese propensos, vt non modo abi-
re ipsum prohiberent, sed aduersus illas pestes per
omne comitiorum tempus vibrare gladium spi-
ritus, quod est verbum Dei, iuberent. Sed enim
pium certamē interrupt ineuitabilis necessitas.
Nuntius perfertur beatum societatis Parentem Propter mor-
tem B. Igna-
tij primam
quasi Con-
gregationem
habet. Ignatium mortalem vitam cum immortalitate
mutasse: & ipsum Canisium cum Prouinciæ suæ
lectis Professis primo quoq; tempore ad nouum
subrogandum Præpositum Romam acciri, Visa

est Principibus causa, quæ commeatum benivolunt mereretur. Duos tamen Ferdinandus Rex numero menses ad reuertendum præscripsit. Ille cum ex Austria Nicolaum Lanoium, Vsmarum Goissonium ex Boëmia, qui Collegiorum Rectores, & Vota quatuor professi erant: Ioannem Couillonium ex Bauaria, qui nullo in magistratu, sed solum erat Professorum è numero, Passauium Ratisbonæ vicinam urbem euocasset (plures enim acciri, nec tempora, nec res, quæ erant in manibus, sinebant) cum iis consultationem habuit: decretumq; est, vt ipse duntaxat Canisius, & Lanoius iter in urbem susciperent. Ille potest numerari Germaniæ Prouinciæ primus conuentus habitus extra Societatis domicilia, atq; ex æquo, bonoque magis, quam ex certa formula institutus. Iam Patauium in Italiam lecti Patres peruenerant pridie Kal. Nouembris, cum cognoscunt in anni proximi ver dilata comitia, retroq; confestim vnde venerant, reuertuntur, maximè læto Canisio ob exercitam obedientiam, quæ scilicet arduam peregrinationem, quamuis exitu cassam, neutiquam sinebat mercede frustrari. Hæ enim obedientiæ vis est, vt carere successu possit, fructu non

*Discedit in
Italiam.*

non possit: cum, vbi cetera destituunt, ipsa sibi sit pretio.

Maturandi reditus causa fuit Ratisbonensis Reuertitur in Germaniam. conuētus; vbi, si de religione ageretur, quod quidem mouendum in præsens nullo modo censebat Canisius: verum, si prohiberi nō posset, apud se decretum habebat impiorum conatibus, quo stragem minorem ederent, & operam, & vitam suam opponere. Quippe & bellum quod inter Pontificem, & Regem Philippum in Italia gerebatur, præcipitantem iam in Germania religionem haud leuiter impellebat. In reditu transiens O Eniponto surgentem vidit præclari ædificij molem, quod Ferdinandus Rex Societatis Collegio destinabat. Inde progressus Dilingam ad Cardinalem Augustanum, exceptusque fraternis planè animis, quosdam antiquos libros Ratisbonensi conuentui admodum accommodatos, calchographis typis euulgauit. Sub ea Ingolstadianos reuisit socios, & aliquandiu aduersa valetudine conflictatus est. Quæ vbi primum permisit, Ratisbonam Ratisbonam repetit. recurrit: modesteq; Cardinalis Othonis, qui præiuerat, recusato hospitio, religiosæ simplicitatis studio, & maioris otij causa ad res animæ-

animarum tractandas, priuata domo à Canonis oblata contentus, illico reddidit se suggesto: & sacro quoque die, perque Domini aduentum ter in hebdomada perorabat. Audiebatur cupidè ab omnibus, ac præcipue à Præsulibus sacris, qui non solum incendebantur ad defensionem prisce, germanique cultus, sed etiam de Societate bonam estimationem hauriebant, & in Dioecesibus suis domicilia ei meditabantur. Rex Colloquio de religione aditum aperuerat, perinuïto sane Canisio, nihil boni sperandum clamante per Colloquia quocunque modo fierent: nec leue incommodum metuendum quicquid de religione attingeretur, non autore Romano Pontifice. Itaque contra eam rem grauem, ac doctam lucubrationem edidit: Episcoposque, vt omni ope resisterent, confirmauit. Optimam Ferdinandi mentem in summas compellebant angustias maximi aduersus Austriam Turcarum apparatus, & Hæreticorum impia pertinacia: qui, vt supra de Bauaris narrabamus, & seditiosorum omnium, ac turbulentorum mos est, Reipublicæ tempestates tempora sua rati, nisi extorquerent, quod ad propagationem impietatis rabide appetebant, Regi subsidia

*Non probat à
secularibus
agi de Reli-
gione.*

in

in bellum obstinatis animis denegabant. Quæ *Barbaros no-*
tamen Canisius non dubitabat vel diuinitus af- *bis vitia no-*
futura, si religio custodiretur indemnis: contraq; *stragantes*
nihil fauere validius causæ Turcarum, nec fortio- *faciunt.*
ra vlla eos habere arma, quam scelera Christiani
populi, & religionis veræ contemptum. Si enim
spirituales inimici donata nobis per Dei gratiam *Serm. 1. de*
correctione vincantur, inquit S. Leo, & corpo- *Quadr.*
reorum nobis hostium fortitudo succumbet, &
emendatione nostra infirmabuntur, quos graues
nobis non ipsorum merita, sed nostra delicta fe-
cerunt. Commentarium quoq; vtilem Præfuli-
bus Germanis ad emendationem Cleri confecit:
utebaturque diuina bonitas procuratoris sui pru-
dentis, ac fidelis laboribus. Interim ab Argento-
ratenfibus Canonicis, & Episcopo vehementer,
ad ipsum Ferdinandum precibus missis, postula-
batur tum ad conciones, tum ad ordinandas Col-
legij res, quod habebant in animo excitare. Qui-
bus Rex hac respondit sententia. Si de Societate a-
liquot ad Collegium conflandum vellent, cura-
turum se vt impetrarent: & Canisium, qui viam
negotio sterneret, ad breue spatium concessurū.
De cetero cum Concionator ordinarius Viennæ,

Q

& in

& in Academia Professor esset., & in præsens uti
vellet opera eius in Colloquio., quod instabat,
mitti nequaquam posse.

1557.

*Cogitur in-
teresse Collo-
quio: & est
primus inter
Theologos.*

Paulo post initium anni 1557. institutū Col-
loquium est. Duos Episcopos Catholicos, & quin-
que Theologos Ferdinandus Rex nominavit: pri-
musq; inter Theologos locus Canisio datus. Cu-
piebat ea via Rex sincerè edoceri, num qua demū
posset controuersorum dogmatum conciliatio,
ac consensus reperiri, salua Apostolicæ sedis Ma-
iestate: vel certe, quo pacto aduersariorum frau-
des dissolui, rationesque fallaces refutari possent.
Cardinalis Augustanus, cuius obseruare nutum
Pontifex Canisium in omnes partes iusserat, exi-
stimauit omnino subeundam illi eam prouin-
ciam, ut opponeret se aduersariorum conatibus:
ideoq; à Pontifice petiit, eō firmare ut eam lectio-
nem vellet, quando aliter ingruenti malo obisti-
nequiret. Canisius autem, quamuis minimè ido-
neum se profiteretur ad cetera; nec quicquam ef-
fet tam graue, quod nō subire mallet, quam eius-
modi implicatissimas causas attingere, tamen in
Christi nomine, & obedientiæ virtute spem, & fi-
duciam collocabat. Sic enim Iacobo Lainio, qui
Vica-

*Obedientiæ
confidit.*

Vicarius Generalis Societatem post Ignatii finem
 regebat, indicat sese. Equidem cum perexiguam
 facultatem cognoscam, & magnam infirmita- ^{Quam parè}
 tem, atq; imperitiam meam, vellem quocunque ^{sibi tribueret.}
 modo effugere hinc, & potius mendicare in In-
 dia, quàm tot inuolui periculosissimis tricis, in
 quibus æterna sæpe subitur infamia, & sedis Apo-
 stolicæ iura læduntur. Sed loquetur in me Domi-
 nus Deus per servum suum, & superiorem meum.
 Audiam illum, & non trepidabit cor meum, e-
 tiam si consistant aduersum me castra: quoniam ^{Obedientia}
 in Obedientia spes, & fortitudo mea: nec eligam ^{in signis.}
 in domo Dei esse altud, quàm lumentum apud
 te omnibus diebus vitæ meæ. Exitus ille fuit, ut,
 quoniam periculum in mora erat, nec alia inue-
 niri ratio conciliandi, & componendi tam soc-
 dum, & graue dissidium in religione poterat: nõ
 per Concilium generale, quod multos iam an-
 nos pendebat: non per synodum nationis, quæ
 nouas magis turbas exciret, quàm veteres amo-
 ueret; neque per consilia Principum, quia religio-
 nis causa communis est, & à Laicis periculose tra-
 ctatur, nouum de integro Colloquium fieret: in
 quo lecti verinq; Theologi congregarentur. Lo-

cus designatus est VVormatia: tempus Augustus
 mensis: Præsides Colloquij Rex Ferdinandus, &
 Principes quatuor, quorū Archiepiscopi duo pro
 Catholicis, pro Lutheranis autem Principes duo
 eius sectæ. Vtrinq; certi assessores decreti: tum se-
 ni ex vtraq; parte collocutores: quibus item seni
 accedebant tanquam subsidiarij, quos & voca-
 bant Adiunctos. Inter Colloquutores Canisius
 miro consensu, plausuq; Præsulum, Procerumq;
 Catholicorum: inter Adiunctos Nicolaus Gau-
 danus lecti. Reclamabat Canisius nō modò, quia
 totum negotij genus improbabat, seque, pro suæ
 tenuitatis opinione, imparem profitebatur: sed e-
 tiam ne quid inconsultis Præsidibus suis, præse-
 tim tanta in re, susciperet. Itaque non solum edo-
 cuit de re tota Lainium, sed magnoperè rogauit,
 vt per eum liceret onus excutere: & Regem ipsum
 per Cardinalem Augustanum diserte admonuit,
 nefas sibi iniussu Præsidum suorum id munus
 attrectare. Itaq; has ad ipsum Lainium Ferdinan-
 dus Rex literas dedit.

*Designatur
 inter Collo-
 quutores
 VVorma-
 tienses.*

*Epistola Fer-
 dinandi Re-
 gis ad Lai-
 nium.*

Notum tibi esse volumus, quod habita in his
 Comitibus cum Ordinibus, & Statibus sacri Ro-
 mani Imperij matura deliberatione de inuestigā-
 dis

dis modis, quibus concordia sacrae religionis nostrae tentari queat, decreuerimus, & conuenerimus rursus Colloquium vtriusque partis instituire. Et quia inter alios doctos viros Catholicae religionis ad id delectos ex ista quoque Societate tua Nominis IESU, duo viri deputati sunt, nempe honorabiles, docti, deuoti, nobis dilecti Petrus Canisius, & Nicolaus Gaudanus sacrae Theologiae Doctores, Te proinde benigne requirimus, ut non modo assentias, quod huiusmodi Colloquio interfint, verum etiam serio illis iniungas, ut operam suam nobis, & statibus Imperij in re tam honesta, & sancta, quae ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & sanctae religionis nostrae, ac totius Christianitatis commodum pertinet, haud grauatim praestent. In quo facies rem, piam, & æquam, nobisque valde gratam, erga te, & Societatem tuam omni benignitate regia recognoscendam. Datum in nostra, & Imperij Ciuitate Ratisbona 15. Martij 1557.

*Vi Canisius,
& Gaudanus
Colloquio
Vormaticae
interfuit.*

Placuit Lainio, cum Pontificis voluntatem explorasset, Regi postulata concedi: quin etiam Canisium in praesens vetuit Ratisbona, nisi post absolutum conuentum recedere. Obedienter il-

*Canisij mul-
tiplex Ra-
tione la-
bor.*

Imperata complexus, id vnū solum in co-mu-
nere, cum sese respiceret, leuamētum reperiēbat,
quod fortasse sic aliquis excluderetur voluntatis,
ac fidei minus sinceræ firmæque. Quandiu vero
Ratisbonæ fuit, tum consiliis Theologorum in-
tererat, tum conciones ordinarias habebat, tum
refutando Hæretico dabat operam, qui contra
Catechismum eius scripserat maledictia, & im-
pudētia singulari: tum quosdam libellos germa-
nicè, & puerorum in vsum Catechismum habe-
bat sub prælo. Priuatim quoq; Iudæum mox sa-
cro fonte tingēdum, religionis imbuēbat initiis.
Demum familiaribus cohortationibus, porrigē-
disq; consiliis omnes inibat vias, omnia aucupa-
batur tempora alicuius faciendæ sementis. Per-
suasitque haud nullo negotio sacrorum Præfuli-
bus, vt consultationes instituerēt de Clericorum
Ordine corrigendo, cum res siue in capitibus, siue
in membris summe necessaria esset. Conuentu
iam absoluto, cum edictum Romæ Comitiorū
tempus ad creandū Præpositum Generalem ap-
peteret, cum bona Principum venia iter ingredi-
tur. Ceterum nulla ne tum quidem Comitia ha-
bita, verum procellæ existeret non leues: in qui-
bus

Veniē Romā.

bus singularem suam aduersus Præsides fidem, & obediētiam Canisius prompsit. Iam vero & tempus instabat itinoris in Germaniam repetendi, vt maturè ad VVormatiensē Colloquium posset occurrere: & Pontifex, ad quem per fœdam calumniam delatum erat, Patres ab Vrbe velle in Hispaniam transferre conuentum, vt Apostolicæ sedis oculos & iudicium declinarent, graui commotus stomacho interdixerat, ne quis prorsus eorum extra mœnia vrbis Romæ pedem efferret. Itaque nominatim admonendus fuit, si quidem placeret Canisium, & Gaudanū interesse VVormatiensē Colloquio, vt eis potestatem faceret ab- *Redit in Germaniam.*
eundi: qua facta, Iunio senescente abierunt, cum diligenter ante Canisius prouidisset, conuenissetque cum Patribus, vt perpetuo sacrificiorum, ac *Redit precibus Societatis.*
precum subsidio, quandiu Colloquium teneret sibi præsto essent. Cuius auxilij fiducia sic armatus, animatusq; discessit, vt omnia in eo reponeret: & vbi primum in Germaniam venit, eam antiquissimam habuerit curam, vt promissa illa sacrificia, ac preces, literis ad id datis, nominatim exigeret. Nam precibus vestris, inquit, non humanis viribus ego factus illud certamen adibo in
nomi-

nomine Domini Iesu, qui nos seruet in gloriam suam.

Agit de Collegio Monachij instituendo.

In Bauariam ingressus reperit Ducem Albertum puerilis institutionis, quæ coepta in Collegio Ingolstadiano erat, ita commotum, erectumque successu, ut eiusdem formæ scholas, & Collegia in principes ditionis suæ Ciuitates alias, quæque celerrimè Monachium Ducatus sedem inducere decreuisset. Eam ob rē accitus Monachiū, cumq; Consiliariis collato sermone, qua solebar cautione, omnia reseruauit integra Societatis Præposito. In ea sententia erat Canisius, ut in domiciliis potius institutis ad firmitatem perducendis, quam exordiendis nouis elaborandum censeret, eo præsertim, quod in summa operarum inopia verebatur, ne vltra vires suscepta munera nusquam rectè, cumq; fructu alieno, & absq; domestico detrimento, sustineri possent. Quæ cum secum in præsentia agitaret, atq; ex altera parte videret Monachiensium rerum statum præsentissimæ opis indigum, incertus hærebat animo. Itaq; conuersus ad preces est. Dumq; lucem exposcit à Deo, remq; clementiæ illius impense commendat, Deus ei (quod ipsemet senior professus est) ingen-

Præsentis diuinitas eius bonum successum.

ingentem sensum celestis iucunditatis infudit;
clementerque promissum eventum ibi rerum feli-
cem fore. Huius opinor, fiducia tanti pignoris ad
Vicarium Lainium talia scripsit. Equidem quo
magis de toto negotio mecum cogito, eo maio-
rem in spem venio nostros in ea melle fructum
Christo amplissimum allaturos esse. Tum descri-
pto Ciuitatis statu, in qua & Ludimagister præci-
puus hæreses pueris instillaret, subiicit. Nunc autē
curritur ad nos, vt Catholicos Domino conser-
uemus; & pueritiam illam flexilem ad Ecclesiæ
disciplinam assuefaciamus; nec solum doctrina,
sed multo magis vitæ, & exempli sinceritate in
Clero, vbiq; hic corruptissimo, præluceamus.

Rerum hoc Monachiensium iacto semine, *Vormatiam adiit,*
Ingolstadium secessit, illic à Ferdinando nutum
expectaturus pergendi VVormatiam. Qui vbi
primum perlatus est, recreatus progressionem Col-
legij, & sociis confirmatis, vnà cum Gaudano dis-
cessit: ac septem dierum itinere fospes tandem
Augusto iam inclinato peruenit. Hospitium pla-
ne Deus prouidit eis pacatum, atque modestum,
quale poterant Religiosi viri expetere, apud Do-
ctorem theologum in principe templo Concio-
nato-

R

nato-

Conclinator.

natorem primum, quem Ingolstadij antea aliquot annos habuerant ipsi discipulum. Ad impensas Rex suppeditauit. Canonici etiam summa beneuolentia sacellum eis pulcherrimum, optimeq; instructum, ubi diuina facerent, assignarunt. Statimq; voluerunt Canisium prodire in publicam suggesti lucem, coactisq; ad Colloquium doctis, atq; principibus vitis patiterq; V Vormatiensi Ciuitati præbere gultum, ac specimen celestium mercium, quantum sacrum illud pectus plenum erat. Aduersariorum potentissimus, & famosissimus quisq; conuenerat Philippus Melanchthon, Erasmus Schneppius, Ioannes Pistorius, Erasmus Sarcerus, Henricus Bullingerus, Brentius, Flaccus Illyricus, aliaque huiusmodi monstra. Conuenticula agebant frequentia, coniurabat acerrimè, suorum Principum armabantur edictis. Certum erat qua vi, qua dolo abire victores. Collocutorum in Ordine Canisius quartum, inter adiunctos Gaudanus tertium locum habebant. Qui cum animaduertenter inde aduersariorum conatus, & vigilantiam, hinc Catholicorum quorundam ignauiam, valde timebant ne congressus hic, quod in alijs eiusdem generis

*Enixe pro
Religione
desudat.*

neris enegerat, in sedis Apostolicæ iniuriā cederet: itaq; diligenter laborarunt, vt Collegarum animos sibi adiungerent: quod Deo propitio sic effecere, vt Rodocus de Rauestein Tiletanus, Martinus, ac Franciscus Sonnius, Louanienses Doctores, & Fridericus Staphilus, quos ipsimet accersendos curauerāt, & ipse Collocutorum princeps Merspurgenfis Episcopus, secum omnia cōmunicarent, Canisio, quæ vna consultabant, negotio perscribendi dato. Designatus fuerat è Catholicis Ioānes Gropperus. vir egregiæ sanctimonix, atq; doctrinæ, quem dein Pontifex reuocentem in Cardinalium adlegit Collegium: quantūque referret hoc etiam commilitone partem religionis stabiliri Canisius intelligens, priuato quoque officio cum literis misso nuntio obtestatus erat, vt accederet. Sed is, laborari frustra denuntians: ad suæque mendacia affixis Hæreticis, iniri concordiam sine veritatis iniuria non posse, casum laborem subire noluit. Principum nullus coram, sed vicarij, & legati conuenerant. Ac nomine Ferdinandi Regis præerat Iulius Pflugius Episcopus Namburgensis, cui hinc atque hinc Catholici, hæreticiq; in Consilio, quos vocabant ass-

sessiones, aderant. Sed Hæretici per vim, ac potestatem tyrannice omnia administrabant.

*Colloquium
incubatur.*

Pridie Idus Septembris conuentum primum est, deq; forma ineundi Colloquij-cœptum est disceptari. Nisi enim certū quid statuatur, in quod pars vtraq; consentiat, sitq; instar normæ, ac regulæ, ad quam res controuersæ reuocentur, incassum colloquutionem de partibus conciliandis institui. Id Euangelici, hoc est hostes Euangelij, non negabant, sed contendebant ex verbo Dei duntaxat puro, ac puro vt aiunt, agendum. Catholici vero hæc postulabant, primum vt integer diuinę scripturæ canon reciperetur, sicut ante mille annos ab Ecclesia receptus, & approbatus est. Deinde, vbi de vero sacræ scripturæ, verbiq; Dei sensu controuersia esset, ea ex Patrum, & veteris Ecclesię consensu diiudicaretur. Postremò, quoniam Colloquium non nisi duas inter partes futurum erat, Catholicos inter, ac Protestantes, Sectas alias à Confessione Augustana secernerent, damnarẽque. Hic vero apparuit, vt ait Canisius, Gigantes illos extruere Babylonem. Immisit in eos Deus spiritum confusionis, vt inter se digladiarentur: & Philippus Melanchthon, consentanea responsio-
na,

Hæretici inter se dissident.

na, qui immanes bestias educant, ab suis alumnis
mirè discerperetur. Quidam igitur dum rationi,
& confessioni Augustanæ congruenter, Sacra-
mentariorum, Anabaptistarum, atq; alias Sectas
damnare se aiunt paratos, alij negant hos potius,
quam illos segregandos, cò ventum est vt certa-
rent, esset ne Philippus cum VVittembergensi-
bus, an Schneppius cum Ienensibus Theologis
re, ac nomine sectator Augustanæ confessionis:
ac deniq; quinque, qui minus delirabant, collo-
cutorum è numero à Collegis ei creptur. Illi ve-
ro contumeliæ impatientes expostulatorium li-
bellum ritè consignatum, quo collegarum frau-
des aperiebant, apud Præsidentem Pflugium relique-
runt. Adeo vero infra iustum, ac legitimum im-
minuto Hæreticorum numero, cum tantum se-
ptem è duodecim residui essent, abruptum ne-
gotium est: quanta cum gloria Catholicorum,
quos inter, vt vna est veritas, ita mens vna, & vna
vox fuit, tanta cum Hæreticorum infamia; qui,
nisi plane cæci essent, cum Dei scientia pacifica
sit, suam Dei non esse viderent.

*Vitio corum
Colloquium
abruptum.*

Multas inde commoditates sperabat Cani-
sius, primum cognita vulgo inter ipsos nouorū

*Bona inde
profecta.*

dogmatum Fabros discrepantia, ac dissensione,
minus præcipientes fore populos ad ruinam: mul-
tos etiam ex inductis respecturos constantiam
veritatis, seq; Ecclesiæ sanctæ reddituros. Deinde
sacri Imperij ordines, si perpendere vellent Acta
Colloquij, liquidò cognituros, quam petulanter
Hæretici se, quam præfractè, impudenterq; ges-
sissent: vnde ex facili cōstaret cum eiusmodi mo-
ribus nequaquam habitare castitatem, bonita-
temq; doctrinæ neq; conscientiæ fiduciam stare.
Postremo plane tandem compertū, exploratum-
que fore, nullam per ea colloquia concordiam
sperari posse. Quippe, vbi dissensio dogmatum
est, vt consensio fiat, necesse est vel altera pars de
sua decedat sententia, in alteramq; se cōcedat:
quod Orthodoxorum fidei nefas est, ne verita-
tem prodant: Sectariorum vero cum intolerabi-
le superbiæ, tum insuperabile perniciæ, ne vi-
cti, domitiq; videantur. Vel vtrique in medium
quiddam, aliquantum de suo gradu mota, con-
ueniat, quod item salua pietate cōmitti nequit.
Nam & quicquid de vano cultu relinquas, &
quicquid de vero dehas, perinde in religionem
peccas. Atque hæc in primis officina, cur vel imita
semper

*Quare Collo-
quia talia
Religioni
inutilia.*

semper id genus colloquia, vel pernicioſa fere ſanctitati ceciderint: quod rerum magis potentes, quam ſapientia vera pollentes homines, dum temperamentum aliquod, in quod ſine fraude cōueniatur, excogitari poſſe opinantur, non ſatis animaduertūt quicquid latro de præda cum eo, quem ſpoliauit, paciſcatur, ſpoliati iniuriam eſſe, cui totum debetur, quod raptum eſt: & lucrum latronis, cui nihil præterquā poena debetur. Sperabat ergo Caniſius (nec temere ſperauit) poſt hæc fore vt ab huiusmodi tractatione concordia

Principes ad remedia alia verterent curas. Om- *Canisio pri-
ma laus ex
eo Colloquio:*
nium opinione conſtitit neminem in eo conſtituta plura quam Caniſium ſcripſiſſe, recitaſſe, opoſuiſſe: nec modice auctam Hæreticis, quam hauſerant de illo, deque Societate formidinem. Totum ille euentum adſcribebat ſacrificiis, ac precibus ſociorum.

Sed admirari iuuat Hæreticorum mentiendi *Hereticorum
de eo Fabula
duæ.*
impunitatem, & impudentiam. Dum Heros inuictus murū ſe pro Dei Domo inexpugnabilem opponit, & victorias de hoſtibus præclariffimas refert, ſparſere per Saxoniam infelices mendaciorum ſigill, Caniſium poſt congreſſum cum Philippo

lippo Melanchthone (is miseris Patriarchæ instar habebatur) dum ad concionem rediret, subito obmutuisse, atque in conspectu populi animam exhalasse. Hæc in circulis spargebatur: hæc è suggestis deceptæ plebeculæ veteratores magistelli doloso supercilio venditabant. Ceterum non modò firmissimus ille bellator detrimenti nihil ex conferta manu cum pestibus diris accepit; & in laboribus diurnis, nocturnisq; studiorum gravissimis ita viribus integris usus est, ut ipse met miraretur; sed etiam eorundem consors laborum Gaudanus, qui diutina tussi extenuatus, iudicio Medicorum tabe conficiendus paulatim videbatur, singulari Dei beneficio valetudini prope est restitutus. Adeo congressus quamvis cum tetris, ac pestiferis belluis non modò vitam valido non eripuit, sed etiam repulit ab infirmo languorem. Sed haud scio an impudētior deinde fabulam ex atheo Illyrico compar Ioannes VVolfius editis libris euulgarit. Canisium hoc anno, dum esset Moguntiz cum Abbatissa cognomento Catella, postq̃ poculis exhilarati sunt, caninas nuptias celebrasse eamq; fabulam in VVormatiensi Colloquio toto notissimam coele fuisse. Quod adeo infelix

infelix est cōmētum, vt ne ipsum quidē autorem
ad fidem magis vulgasse crediderim, q̄ ad risum
impia scurrilitate captandum, vt Hæreticorum
ingenium est sacra per cachinnos quaterē. Nimi-
rum procaci ingenio bella visa est Lusio in Cani-
si, Catellæ, caninarumq; nuptiarum nominibus.
Inde fabella extemplò confuta. Quæ quanquam
misera, absurdaq; ipsa compositione satis confu-
tabatur, iuuit tamen deinde de tota re diligenter
inquirere: ac plane compertum est nullam vnq̄
fuisse Moguntia yllo in cœnobio sacrarum Vir-
ginum Abbatissam aut Antistitam Catellam. Ve-
rum enim uero quo digne malo mactes bipedes
istos, qui ludum, iocumq; sibi Deum, & homines
faciunt, famamque, & infamiam innocentium,
& animarum carnificinam? Hos vt quisquam
putet plusquam sanctissimos viros, & sapientissi-
mos Patres, Ambrosium, Hieronymum, Augusti-
num, Gregorium: plusquam D. Thomam Aqu-
inatē, & Bonauenturam, & innumeros præ-
ter doctrinæ subtilitatem, pietate mira modestia-
que spectatos Doctores sapere? Miseret simpli-
cium populorum, quibus furiali inimicitate il-
luditur. Canisum quidē ab omni in eo genere

*Hæreticorū
scurrilitas
dura, & im-
pia.*

S non

non modò culpa, sed etiam suspitione, vel ipse conspectus liberabat: adeo non modò integerri-
mus corpore, ac mente erat, sed grauitatem, san-
ctitatemq; spirabat.

*Canisius Co-
loniam ex-
surrit.*

Qui dum Vornatiæ collocutio propter ad-
uersariorum dissidia pendet, sub finem Octobris
Coloniam Agrippinam excurrit. Aduocabatur
eo cupidissimè & à Sociis, & à Ciuibus: & spera-
bat apud utrosq; operam positurum cum fructu.
Quia etiam ipse Lainius innuerat rem sibi fore
pergratam, vt Collegij statum cognosceret. Exce-
ptus est Coloniae plausu mirifico, tota Ciuitate
quasi ad hominem diuinum visendum vndique
confluente, Groppero in primis triumphâte. Læ-
tatus & ipse summo opere est Coloniensis Collegij
profectu, præsertim cum videret ex aliis quoque
Collegiis scholasticos iuuenes fere ducentos sa-
cramentorum causa ad Patres adire. Spem itaque
præcepit amplissimam inde in multorum Colle-
giorum subsidia egregios viros prodituros: quæ
nimirum spes postea nihil fefellit. Vnica labora-
bant rei familiaris difficultate, non modico ære
alieno pressi: quod Canisius ipse dissoluit exacta
pecunia, quam olim de patrimonio suo in vsus
eius-

*Res Coloniae
gestæ.*

eiusmodi destinaret. Effecit etiam ut traderetur Patribus suggestus in celeberrimo sanctæ Vrsulæ templo, cum antea sepe eis locus ad euangelizandum deesset. Ipse verò octo dierum spatio (non enim longiorem ab Colloquio comitatu impetrarat) concionatus est sapissime in æde principis; alibiq; cum germanice, tum Latine innumerabili auditorum numero, præsertim die Sanctis omnibus sacro, quo multa hominum conuenisse ad audiendum millia dicebantur. Liberatus deinde VVormatiensi Colloquio, cum vndiq; Ecclesiæ rû necessitatibus aduocaretur, haud diutius contuit piam postulationem frustrandam Argentoratensium Episcopi, & Canonicorum.

Conuenit Episcopum ad Tabernas Alsacias 1558. quinq; ab Argentorato procul miliaribus mensura gentis. Aberant ij, cum quibus agi volebat *Argentoratensem Episcopum conuenit.* Antistes de institutione Collegij: idcirco prope mensem retentus est, habitusque quasi Angelus Dei, atque interim populum iussu diuino verbo reficere, ac per natalitias Domini ferias etiam sacramentis ministrâdis obire Pastoris vices. Apud Aulicos præcipue fructus laborum constitit. *In Multa bene gerit.* ludo quoq; Catechismum pueris tradidit, explicauit.

cavitque eorundem & confessiones extcepit. Quò-
 tum ex maiestate concionum, tum ex suauitate
 catecheseos in admirationem; ac benedictiam
 rapti, teneras mentes, non secus ac parenti dulcis-
 simo fingendas præbuerunt. Auebat ille lectam,
 ac florentem, quam Argentorati vidit, iuuentu-
 tem excolere. Circiter mille numerabātur Schol-
 lastici, qui sic instruebantur, vt maiores aliunde
 prodire pestes, latinusq; per Galliarum, & Germa-
 niæ Prouincias spargi nequaquam existimaret.
 Miserrimis ibi modis opprimebantur Catholici:
 qui recreari, ac respirare visi sunt cum in templo
 Episcopi de superiore loco dicentem ipsum au-
 diuere super nuptiis Galileæ. Accurrerat promissi-
 cui auditor, ac plurimus: gaudioque exultantes
 Orthodoxi circumiectis in Aduersarios oculis ta-
 citè videbantur exprobrare, ecquem è suis confe-
 rendum cum facundia, doctrina, modestiaq; illa
 haberent. At Canisius inter tantam vastitatem
 summū cepit animi solatium è Monasterio Vir-
 ginum, quæ vel solæ, vel præcipuè feminis virisq;
 quæ constantiæ, ac pietatis palmam abstulerant
 in ea vrbe. Adeò fortiter in medio Babylonis, neq;
 ad dexteram, neq; ad sinistram à mascula, & Ca-
 tholica

tholica confessione declinantes, sequebantur Agnum quocumque iret, eius umbra protectæ, ne qua cuiusquam labefactari possent iniuria. Sæpius illas Pater mutua cum animorum, sanctaq; lætitia edocere institit, & ad perfectam sanctimoniam laudem accendere.

Inter hæc Friburgum per Brisgoiam excurrit de Collegij sede coram iudicaturus. Excepere per hospitaliter, & frequenter inuitarunt Academici Friburgenses ab omnique dederunt in mandatis quæ apud Regem Ferdinandum de Academia illa instauranda, ornandaq; curari rogabant. Quæ ille haud illibenter recepit, delectatus cum religione Catholica, quam vigentem Friburgj, tum Theologis, quos sanè præstantes reperit. Apud se per diu tenere modis omnibus conabantur, sed facere satis eximia Caritati eorum, præclarisque iudiciis integrum non fuit: tum quod alia festinare cogeant negotia, tum ut mature Ferdinandum, antequam Francofordiam pergeret, conveniret. Extitit ille non ultimus ex ea peregrinatione fructus, quod cum per egregias ciuitates Sletstadium, Colmariam, Brisachum, Rubeachum transiret, multos in iis Catholicos nosse, & conso-

*Friburgum
Brisgoie Vi-
sit, & alias
nobiles ciui-
tates.*

larilicuit. Nam quacumq; præterucheretur, vbi-
 cunque pedem poneret, exemplo Domini Iesu,
 monitisque, & simul exemplis Magistri sui Fabri
 totus frugifer erat, & aliquid serere, aliquid legere
 spiritualis frugis studebat. Hyems erat asperissima,
 omniaque gelu concreta, neo tamen cor per intus-
 rias peregrinanti firmam modò Deus valetudi-
 nem conseruauit, sed tantum pro sua summa bo-
 nitate gaudij cœlestis in animæ sinum contulit,
 vt ipsemet explicare se verbis posseneget. Fortasi-
 se, inquit, quia lacte adhuc opus est paruulo, &
 imbecilli mihi. Perfectis enim desolationis, &
 crucis solidus cibus congruere solet. Ego dignus
 non sum pro nomine Iesu, quod nûc coram gen-
 tibus istis porto, grauiora pati, & perfectum offer-
 re holocaustum in odorem suauitatis. Reuersus
 Argentoratum, renuntiatisque de Friburgo, quæ
 videbantur, ac probata Collegij sede, ita conue-
 nit, vt quoniam hætere sibi diutius ad eam deli-
 berationem non vacabat, Episcopus, & Clerus ad
 se suam de tota re sententiam literis explicatam
 mitterent: ægreg; ab amantissimis Sacerdotibus
 auelli, & abstrahi potuit. Ab euntē instructo
 curru, additoq; & viatico, & duce per honesto Sa-
 cerdo-

*Consolationi-
 bus Cœlesti-
 bus inter æ-
 rumna re-
 creantur.*

*Donatur in-
 signibus San-
 ctorum Re-
 liquiis,*

cerdote, & quod maximi instar thesauri fuit, insignibus reliquiis Polycarpi, Sixti & aliorum Sanctorum benigne donatis, profecti sunt. Pecunie etiam numerum satis magnum sepius obtrusere, & tandem post certamen haud passim vsitatum, cum impetare, vt acciperet, nequiuissent, clam Ingolstadium transmisere. Quod protinus vt ille rescivit, causis, cur refutaret, allatis, (opinor ne videretur Euangelium nundinari, & aliquam Hæreticis ansam offerret eius ministerium vituperandi) quamuis Collegiorum summæ inuitarent, & vrgerent angustia, vt missa à Domino benedictione vteretur, ad largitores omnem remisit: & auxit non nulla argenti iactura benevolentia opes; nominiſque boni quod melius est, quam diuitia multæ, vectigal. *Custos acerrimus paupertatis.*

Dilingam ex itinere delatus Augustanum reperit Cardinalem in eam penitus cogitationem ingressum, vt cōditum ab se Dilingæ Collegium in Societatem transcriberet. Nec præterire fas est optimi Cardinalis rarā pietatem. Exceptum hospitum non modo omni honore, ac benignitate tractauit, sed etiam voluit, vel inuito manibus suis lauare pedes. Meminerat nimirum vocem *Cardinalis Augustani pietas.*

gem Domini Discipulos suos vniversitati Gentium commendantis. Qui vos recipit, me recipit: meminerat Euangelizantium pacem tanto opere laudata vestigia, mercedemq; optabat Prophetæ, in nomine Prophetæ coniunctissimum sibi amicum recipiendo. Et Canisius, quoad verecundia non obstinata, sed modesta tulit, acriter resueltus, tandem instar cognominis sui Apostolorum principis, ne opus Domini impediret, cessit: & vetitus deinde eam rem euulgare, ille quidem, ne & se commendare videretur, obtulit sed nimirum quantumuis premas, illustris fulgor virtutis tandem erumpit. Alij è domesticis conscijs euulgarunt. Aderat tempore eodem Dillingæ ex via Tridentinus Cardinalis, qui ad Collegium excitandum Tridenti cupiebat secum Canisium ire. Dux verò Bauarus iam non Monachij solum, sed & Landeshutæ primo quoq; tempore volebat Collegia inchoari, vt laborandum esset Canisio, quo festinationem, ardoremq; Principum temperaret, illud in primis cauens, quoniam Monasteria vetusta in noua hæc opera destinabantur, vt id nequaquam attentaretur, nisi & autoritas auctissimi Pontificis, & assensus veterum possessorum

Modestia Canisij & cura adificationis.

rum exquireretur, & Societatis ad vulgus recta opinio salua esset.

Inito Februario ad Regem Ferdinandum per-
uolauit, quem ferebat fama religionis rem in Au-
stria pro perdita, ac deplorata reliquisse. Cardina-
lis Augustanus, Princeps Bauarus, boni omnes, ac
prudentes viri censebāt Collegium Viennæ haud
extra periculum esse, & Bauarus, oblato cœnobio
in suis terris, multum ut eò statim auocaretur, in-
stabat. Sed Canisius minimè ratus tempestati ce-
dendum, non modò sperabat Patres, fratresq; in-
trictos fore pro Deo, & Ecclesia milites: atque ad
sanguinem vsque, si res posceret, restituros, verū
etiam auido martyrij animo ad periculi societa-
tem rapiebatur. Vicarioq; Lainio, si ille probaret,
denuntiavit in mediam flammam continuo cō-
iecturum sese. Quamuis vnum se omnium ma-
xime flagrare odio nosset, accursurum in nomi-
ne Domini contra Goliath, & confessurum co-
ram hominibus suam, & Ecclesiæ fidem, atq; do-
ctrinam pro modulo suo. Scire enim cui credide-
rit. Has ob res, & ab Turcis discrimina No-
rimbergæ Ferdinandum Regem mœstissimum,
& consiliis, auxiliisque destitutum reperit: qui in

*Excelsum a-
nimi, & Mar-
tyrij cupi-
ditas.*

*Ferdinandum
Regē qui mox
lētus Impe-
rator, con-
solatur.*

T
cius

cuius sinu arcana omnia, domesticosque angores deposuit: vnde tanta commiseratione compunctus est famulus Dei, vt præter suam omnem operam, nunquam intermiserit ex tota Societate pro eo preces plurimas, & sacrificia postulare. Et mox cum in eum Carolus Francofordiam progressum Imperij titulos transtulisset, septena singulis sacerdotibus sacra pro felici euentu noui honoris, & alias quadam portione preces Laicis edixit in sua Prouincia. Instabant iam Ieiunij Magni solennia, & Cardinalis Augustanus per sacrum id tempus vehementer optabat sub Canisij disciplina beati Ignatii ascetica regustare: sed consentaneum non erat vt nauissimus colonus aptissimo culturæ tempore desideret in vmbra:

*Straubingam
rem Catholice
cam sustinet.*

Itaque autore Ferdinando ipso, Ducis Bauari flagitatu ad Euangelicum opus impigre faciendum concedit Straubingam. Ea Ciuitas est in inferiore Bauaria inter quatuor primas Ducatus, præsentissimaque indigebat ope. Nam qui proxime Curionis, quiq; Concionatoris munera sustinerant, pro Curatoribus animarum, benefici tandem deprehensi, totam fere sensim corruperant Lutherana peste: & posteaquam satis venenorum diffu-

diffuderant, mature corripuerant fugam insana-
bili plaga relictā. Non itaq; sacramentorum mo-
dò, ac verbi diuini pabulo misera plebs destitue-
batur, sed deprauata magnam partem, & efferata
sic erat, vt nemo inueniretur qui vellet, nemo qui
commodè posset in munera illa, & ad tentādam
medicinam succedere. Ventum est igitur ad Ca-
nisiū. Is pro sua vitæ prodiga caritate, quanto
periculosiorem prouinciam, tanto audentius, li-
bentiusq; suscepit. Adnissus est ante omnia, vt pa-
terna pietate, sanctaq; modestiæ, & lenitatis ille-
cebra multitudinis mitigaret animos, caperet-
que tum leniter eos demulcens ac tractans, hinc
pedetentim referans fraudes Hæreticorum, inde
Catholica exponens, neruo seq; confirmans dog-
mata, id effecit, vt vulgo per ferias Paschales ritu
Catholicorum sacramento contenti essent sub
vnica specie; cum ante ad Calicem, vel per sedi-
tionem, atq; tumultum concurreretur. Volebāt
primarij ciues, cum frequentiam auditorum, &
publicam in eum propensionem cernerent, vt
perseueraret longius in ea Statione; Dux pero-
ptabat, nec laborem ipse subterfugiebat: sed iter
capessendum in Urbem fuit ad instantem con-

uentum creando tandem Generali Præposito. Non defuere Hæreticorum è fabulâtoribus, qui ad ignauia conflâdam infamiam rumorem dissiparent, turpem sibi eum necis formidine consciuisse fugam, nec, si moram faceret, diu fuisse victurum. Quanquam, vt ex se de illo existimantes, exitu rerum perspecto, talia finxerint, forte concedi potest. Nam quanto cum ciuitatis incommodo recesserit, quanta repente commutatio in deterius facta sit, intelligere est ex literis Ingolstadiani Rectoris. Miseri, inquit, Straubingenses nunc decipiuntur abrepto à nobis Patre Canisio, qui non mediocrem laudem apud Deum, & homines illic meritus est, Hæreticorum maleus, Firmamentum Catholicorum; portus, præsidiumque Germaniæ, quem doleo abesse ab illa Ciuitate, cuius casum, & interitum lugent omnes, qui Germaniæ tranquillitatem, pacemque exoptant, & precantur.

*Romam venit
ad creandum
Præpositum
Generalem.*

Medio circiter Maio Romam cum attigisset, egregiam contulit operam præparandis iis rebus, quas præuerti Comitibus oportebat, vt primus ille Ordinis conuentus, in quo præter creationem Præpositi, recognoscenda multa, & permulta sancien-

fancienda erant, rectè & commodè haberetur. In his Comitibus mos est ex beati Ignatii ductus institutis, ut quo die eundum est in suffragia, eo die ad omnes, quibus suffragij latio est, in vnum congregatos, de corpore ipsorum Pater, quem iidem arcanis ante suffragiis destinarint, orationem latinam habeat loco, temporiq; accommodatam. *Orator Comitiorum deligitur.* Prima hæc in hoc genere, & sane grauis dictio in tanta præstantium virorum copia Petro Canisio demandata est: nec minore assensu est auditus, q̃ consensu lectus Orator. Nimirum id affirmari ferme licet de eo, quod sibi met euenisse B. Augustinus tradit: quocunq; loco interfuerit, ubi inter multos ad dicendum idoneos, ad vnum essent deferendę dicendi partes, nunquam nõ ad ipsum fuisse delatas. Sexto Nonas Iulias, quem diem inuisens Elisabetham Deipara consecrauit, Iacobus Lainius creatus est Præpositus Generalis. In res inde Societatis publicas, priuatasq; ordinandas curæ versę, eo maximè opportunis Canisij consiliis, quod longo usu, & magnitudine sapientiæ rerū ad septentrionem statum vnus omnium perspicacissimum habebat: nihilo tamen secius in sancto illo coetu diutius ei pacato sedere non licuit.

*In Poloniam
à Pontifice
mittitur.*

*Comes addi-
tur ei Theo-
doricus Am-
sterdamen-
sis.*

*Canisius beati
Ignatii exer-
citia plurimi
facit.*

Apparabatur in Polonia Regni concilium Petricouiae, in quo & causa religionis tractanda ferebatur. Ad id Concilij Cardinalem Pisenum destinare Pontifex cogitabat, sed interim Nuntium premisit Camillum Mentuatum patria Placentinum Satriani Episcopum, eiq; duos ex Societate Theologos, & Canisium nominatim adiunxit. Ipsi comes additus à Lainio Theodoricus Gerardi Amsterodamensis, quem in florentissima Romani Collegij iuuentute, siue pictate, siue ingenio, siue doctrina, siue quibusvis aliis humanis, diuinisq; ornamentis, consentiens omnium opinio ferebat principem. Itaq; summo in amore omnibus, summa in expectatione erat; pauloque ante insignibus Theologi Doctoris acceptis nunc primum in lucem, solemq; prodibat. Cum hoc tanto comite profectus ab Vrbe Canisius, ex itinere Prouinciam suam reuisit. In Collegio primum Ingolstadiano secunda omnia reperit. Egregiè, quod caput est, procedebat domi pietas: cuius instaurandæ gratia, & multi ante eius aduentum ad exercitia spiritus recesserāt, & postea ceteri, per vices recessere. Hoc enim optabat ille, &, quoad consequi poterat, efficiebat, vt semper domi

domi essent sociorum nonnulli, qui sancta illa palæstra exercebantur: cum diceret, quemadmodum B. Pater per eas Meditationes proprium Societatis ingenium, ac spiritum hauserat; ita fore, ut eius filiis, si accuratè exquirere, per eadē subsidia sensus, ac vigor idem impertiretur. Viennā deinde progressus, ac Pragā, ibi quoque quantum licebat in obrutis prope Hæreticorum coluie ciuitatibus, prosperum rerum cursum inuenit. Ferdinandus Cæsar nunquam eum amantius, humaniusq; accepit. Ter familiariter, ac prolixè de arcanis conscientiæ suæ consuluit: literas etiam ad Sigismundum Regem, ac filiam suam; coniugem eius Reginam Poloniæ in Societatis commōdationem ultro promisit. Ceterum, quoniam in congressu ultimo denuntiavit in conuentu, quem sub insequentis anni exortum habiturus erat Augustæ, eius opera uti velle: eamque ob rem ex Polonia reuocaturum in tempore; & ad ea nihil ipse subiecit, quod nosset Lainij mentem esse, ut Polonica expeditione perfunctus ad Ferdinandi nutum labores suos accommodaret; postquam domum retulit se se, incesit animum religio, quod non disertè esset testatus Pontificis se adstri-

Insignis eius obedientia.

adstrictum Imperio; atq; adeò nec suæ potestatis fore, vt à Cæsare vocatus accurreret, nisi postquã Pontificia mādāta confecisset. Existimetur hinc quanta esset viro cura perfecti, exactiq; in omnes partes obsequij. Quin adeo vt noxam corrigeret, quoniam ipsi copia non fuit, Viennensis Collegij Rectori mandauit, vt cum primum Cæsarem conueniret, explicaret ei plane, & candide totam rem. Deniq; & apud Præpositum Generalem per literas erratum professus dolēter veniam, ac poenā supplex orauit. Carissimum inter hæc Comitē peregrinationis suę Theodoricum ærumnarumque vnicū leuamen amisit. Ipsius Octobris Kalendis in Viennensi Collegio ex morbo decessit: cuius laudes nō est hic locus recensendi. Erat, inquit Canisius, vita innocēs, moribus pius, conuersatione blandus, studiis acer: quemadmodum Dei seruum decebat, male mori nō potuit. Angelos ei sub extrema visos alij prodidere.

Moritur Theodoricus Viennensis.

Res in Polonia à Canisio gestæ.

Hoc ille dulcissimo orbatus subsidio, cuiusq; in locum Dominico Mengino sumpto, iter in Poloniam quinto Nonas Octobris repetiit, nonoq; inde die regiam Polonię urbem Cracouiam attigit. Ibi conuenit Antistitem: iamq; fama notus

tus haud sine autoritatis pondere egit cum eo de religionis tutela. In certum etiam diem inuitatus ad latinè dicendum in perfrequenti, doctaq; concione ex Clero maxime, & Academicis, modeste, & grauitè, quæ visa è re sunt, pro religione disse-ruit approbatione magna. Nunc primum inclarescere Societatis nomen per Regnum Poloniae coeptum est. Namq; Salmeron, qui quadriennio ante adierat, celeri tantū excursu ostenderat se se. Canisius & hæsit diutius, & publicum industriæ specimen multifariam edidit: aliaque, quæ protinus exequemur, orsus est. Qui Pontificium Nuntium sequens, Cracouia digressus Louitium ad Nicolaum Dziergouium Archiepiscopum Gnesnensem, Regni Primatem venit iam decrepitum senem. Multa cum eo vltro citroq; collata, quæ ad instantia attinebant Comitibus. Societatem Archiepiscopus, vt in Poloniae Regnum introduce-ret, acturum cum Rege vltro recepit: seq; ei Collegia duo, Gnesnæ vnum, Posnaniae alterum conditurum. Status religionis sane malus erat loco, & prolabebatur assidue in peiorem nihil non mouentibus nouorum sacrilegiorum Magistris. Apparebat tamen in populo religiosa indoles præ-

*Amat religio-
sam indolem
Polonorum.*

V

ser-

sertim in adeundis templis, perseuerandoq; modeste diuino in sacrificio. Qua delectatus specie Pater, & necessitate commotus, ex facili in cupiditatem exarsit operam suam ei Regno, totumq; se penitus impendendi. Quam voluntatem celestibus etiam gaudiis Christus Dominus nutrebat; vtille sic ad Lainium scribat. Gralias ago diuinæ bonitati, quæ me licet inutilem hic sustinet, & ita consolatur, vt pro huius Regni vtilitate pati aliquid cupiam, atque etiam hic mori non recusem. Sed efficient preces ad Christum vestræ, vt hæc qualiacunque desideria fructum afferant, & suam aliquando maturitatem assequantur. Dominus Iesus vbiq; nos conseruet, & prosperet vias nostras in gloriam suam. Amen. Porro messis vberriam, quæ deinde toto Poloniae Regno, per Societatem Iesu, Deo aspirante, maturuit, haud temere suspicari fas est hæc tum verba, tum vota Canisij & semen aliquod, & Oraculum præiuisse. Louicio Petricouiam ventum est Comitiorum sedem. Canisius ante omnia ad placandum Deum, propitiandamq; instanti conuentui versatura, tametsi multas ad eam rem ante preces, multa sacrificia, vti solenne habebat semper, à tota fere

Solum animarum.

Recandi Dei industria.

ta fere Societate postulauerat, & impetrauerat; ta-
men vt nouos adiungeret precatoresex ipso con-
uentu, fedulo cunctos, qui Petricouiam conue-
nerant Sacerdotes, adiuit, excitaui, edocuit. Ipse
nominatim ob eam causam ter decies sacrū fecit,
quæ gratiarum Missæ dicebantur ab Innocentio
Quarto, vt putabatur, institutæ. Adeamque pre-
cādi rationem, tum alios Sacerdotes, tum ipsum
Nuntium inuitauit. Deinde Varmienfis Episco-
pi Stanislai Hofij Dialogum de communione
sub vtraq; specie: deque Coniugio Sacerdotum,
cum iam exempla deficerent, temporiq; disputa-
tio per apposita esset, recognouit, præloq; vulgan-
dū curauit. Interim ætate iam præcipitata Gnes-
nensis Archiepiscopus Nicolaus idemque Regni
Primas exstinguitur: sufficiturq; Regis Procancel-
larius, qui iam destinatus seni, traditusq; erat ad-
iutor Ioannes Przerembius prompta vir pruden-
tia, & ad res gerendas in primis aptus. Ei, vt occu-
patissimo, dum Societatis noticiam per libellum
tradere meditatur Canisius, præuertit ille, Patreq;
ad se accersito, post egrogia humanitatis docu-
menta demonstrat, nullam habere sibi datam hypo-
thecam, quam de Collegiis Societati in Polonia
habere.

*Perf. librum
eius.*

*Archiepiscopi
Gnesnensis de
Societate opi-
nio.*

pientia mirè recreabatur. Vbi necbat animaduer-
 ere quanto felicior sit in humilitate religiosa vir-
 tus, quam inter honores quamuis sacros. Namq; Pasport au beaq
la Canisj.
 dum Episcopum, Nunciumque variæ sollicitum
 habent curæ, & ipsa inter opes angit inopia, Cani-
 sius obedientiæ vehens nauigio, & Euangelica
 nuditate diues, extra humanorum casuum incer-
 tas vices videbatur sibi remotus, habens in cruce
 omnia itaq; his Domino verbis gratulabatur, Be-
 nedictus Dominus, qui nos docet ubiq; sufficientes
 esse, vt neq; lucrifacere, neq; amittere posse vi-
 deamur, solo Christo Crucifixo contenti. Sub
 hæc conuentus absoluitur, exitu sanè Canisij pre-
 cibus, ac votis conueniente. Rex, grauissime licet
 oppugnant Hæretici, nihil permisit in Episco-
 porum iniuriam statui, nihil in religionis causa
 mutari. Tum bona donatus missione Canisius
 quarto Idus Febrarij discessit, cor in eo Regno suū
 relinquens. Sicut enim reputabat, planeq; sibi per- Zelus anima-
rum: Et in Po-
lonia caritas.
 sua erat, quanto magis afflictæ, ac desperatæ iudi-
 cio mortalium essent res, tanto magis & suas, &
 sociorum reliquorum esse partes, opem iis pro vi-
 rili ferre. Quia sumus, inquit, de leu societate, &
 laboranti Ecclesiæ operam omnem debemus.

Dominus Iesus augeat in nobis spiritum suum. Ego licet de Polonia proficiscar, tamen illam non minus, quam Germaniam nostram Romæ, & vbiuis Gentium fratribus commendatam esse velim in Christo Iesu Domino nostro. Tota ille quidem deinceps vita commendatissimam habuit, & qua re cumq; potuit, subleuauit.

Rediit Pragam. Februarij vigesimo die peruenit Pragam. Quatriduo ibi exacto cum fratribus, eosq; consolatus, ac multis pro præsentis vsu Collegij constitutis rebus, primo Ingolstadtum, inde Augustam tetendit.

Adiit Augustam.
non commisit.

Aderat Cardinalis Otho Augustæ, qui sancti Doctoris accessu triumphans, beneficioque sibi ducens quicquid in eum benignitatis conferret, eius alendi partes ambitiosa quadam pietate aucupatus, nulla ratione præcipi sibi permisit. Domitilio etiam voluit ædibus suis proximo vti, id agens, vt Viro Dei regendum sese totum, ac penitus traderet. Haud pares, id quod sane necesse erat, animos in eum gerebant Heretici. Nulla non impudentissimè confingebant probra; per quæ salutiferam illam in dies latius inclarescentem infuscarent lucem. Canisio ita ob eam rem eis non infenso, vt etiam maiorem impederet caritatem.

Bene-

Benedictus Dominus inquit, (cum Lainio loquitur) qui nostros in Polonia, Boëmia, & Germania conspicuos reddit, adeoque palam exosos haberi vult apud Sectarios, vt nusquam non blasphemant in nobis nomen Domini. De me scribunt Lutherani non exigua crimina, quibus obscurēt nominis, quam neq; capto, neq; defendo auctoritatem. Iesuitarum odio flagrant omnes Sectarij. His affingunt horrenda: fortasse à verbis, & contumeliis breui ad flagra, & vulnera deuenturi. Vtinam impensius nos diligamus illos ob caritatē, quam illi traducunt nos per calumniam. Digni sunt certē, qui etiam persequentes amentur propter Christi sanguinem, & amorem: tum quia plerique nescientes peccant. Fuit Hæreticus, Andreas, opinor, Iacobi Goppingensis, qui inter varia Sectarum portenta, cum Anabaptistas, Sacramentarios, Suentfeldianos, Osandrinos, Seruetianos nominaret, adscriberet etiam Canisianos, siue Iesuitas, nam eosdem aiebat esse, quorum Dux, & Caput Canisius esset. Hos aiebat inuento quorundam Cardinalium editos ad excitandum Regnū Papisticum, alioqui iam per collapsam, **Errores vero Canisianorum esse, quod docerent,**
quam.

*Hæreticū pro-
odio & mala-
dictū carita-
tem, ac preces
repndit.*

*Dicitur ab iis
Secta Iesuita-
rum caput.*

*Impudentia, &
infortia Hære-
ticorum.*

quamuis olim primus Mediator fuerit Christus, nunc tamen amplius non esse eum, sed quosdam Sanctos: & alia huiusmodi fatua prorsus, & insana figmenta, quæ apud leuiter rerum gnaros per se fidem oppido faciebant, intoleranda Hæreticos vel infortia laborare, vel impudentia: vt plane miseranda esset simplicitas populorum, qui negotium animæ, & æternitatis hominum institutioni crederent, qui de re adeo toto Orbe terrarum illustri, de Societatis non modò ortu, sed etiam secta, atq; doctrina tam stolidè vel ignorarent, vel mentirentur. Sed consilium Prouidentię æternæ est, sinere cœcos impietate homines in pudēdos, ac manifestos errores ruere, vt palam fiat, quid audeant iis in rebus, quæ non ita sub aspectum cadunt.

Dissidia Christianorum Principum Religionis.

Iam Canisius in rem Catholicam Augustæ cunctas intenderat curas, hoc impensius, quo campum ampliozem tot Procerum aperiebat coetus. Per hæc tempora dira fraude Satan ad sedis Apostolicę auctoritatem funditus affligendam apud Germanos, grassabatur ferendis dissidiis inter capita summa Christianę gentis. Ventilabant eas Hæretici faces, & hominum factis (vt cunq; cœssent)

ſent, ad odium religionis abutebantur. Nec in præſens impedimētum rebus gerendis maius inueniebat Caniſius, quàm Ferdinandi Imperatoris apud Pontificem Paulum offenſam: quam vt obliteraret, nihil nō coram per ſe apud Cæſarem, nihil non apud Pontificem per Patres Romanos mouit. Hoc item vigilandum acrius erat in toto conuentus curſu ad religionis incolumitatem dirigendo. Qui cum è ſententia parum procederet, auctis periculo vigiliis, curis, conatibus, & ante omnia Numinis placamentis, præterea, quæ à Præpoſito Generali, totaque Societate poſtulauit, indixit in Prouincia ſua quotidiana per Litanias Sanctorum inuocationem, multumque aliarum precum, multum ſacrificiorum: denique & certas verberationes, quæ magno ardore ſuſcipiebantur à ſociis; eoque acceptiores, vt par eſt credere, accidebant Deo, quo minus tale ſeueritatis genus tempeſtate ea Germani amabant. Et valuiſſe apud ſummam bonitatem pios gemitus, conatusq; ipſemet animaduertit Caniſius. Erexit animum Ferdināduſ Cæſar, miriſceq; excitatus eſt, vt conſcientiæ ſuæ in religionis cauſa vellet omnino ſatiſfactū: mul-

*Præcandi ſu-
dum Caniſij.*

*Eiuſdem labo-
ris in Augu-
ſtano conuēto.*

tumque ipsius Canisij exquirebat sententiam, & probabat. Itaque conuentus tandem exitum satis commodum habuit. Dimissi enim Antistites sacrum cum eo, ut pollicerentur se & synodos habituros, & gymnasia restitutos, & consuetudines prauas, vitiaque publica, quoad consequi possent, correcturos. Quæ fuerat Canisij sententia, qui eosdem Præsules & vocibus, & lucubrationibus ad morum correctionem nunquam destitit incitare. Idem illud præ ceteris Ferdinando persuasit, ut viros apud se pietate, ac doctrina præstantes haberet, ac nominatim Franciscum Turrianum, Doctorem egregium accerferet, ut eius, & aliorum opera tum in scribendo, tum in diiudicandis obscurioribus questionibus vteretur. Hic est Turrianus, qui aliquot post annis seque, & sapientiam suam nostræ Societati dedit. Ceterum Canisius ad potissimam illam Conuentus iuuandi curam, adiciebat quàm plurimas alias & publicas, & priuatasque animarum adeo occupatus, ut cum Ingolstadium ad res domesticas Collegij ordinandas excurreret, grauias quædam scripta quæ interim recognosceret, abeunti Ferdinandus tradiderit.

Erant

Erant Augustæ Scholastici pauperes ferè du-
centi, qui à præceptore bene Catholico Canisij
ipsius peritudioſo in ſchola cathedralis Eccleſiæ
& diligenter edocebantur, & piè. At enim Ciues,
hospitesq; Lutherani paupertatis prehensã anſa
haud paucos eorum variis modis, & artibus cor-
rumpebant. Tanto incommodo Pater vt mede-
retur, speranſque ſacrorum inopia Miniſtrorum
laboranti Eccleſiæ aliquid ſubſidij fore, ſi tanta
iuuentus integre, Catholiceque educaretur, om-
nium ſe loco mendicum fecit. Cunctos Archie-
piſcopos, & Episcopos adiit, rogauitq; vt ſtipem
conferre vellent ad commune domicilium com-
parandum, vbi ſublato illo vagæ, & emendicatæ
habitationis discrimine, incertis obſtricti legibus
vitam tolerarent. Deſtinatus eſt etiam à Cæſare
Coenobij Virginum emendator. Ad hæc & aures
confitentibus dabat: & verbi diuini de ſuperiore
loco non intermittebat præconium: quin adeò
per ſanctiorem hebdomadam quater tribus die-
bus de ſanctiſſimo Chriſti Domini exceſſu pero-
rauit ad concionem quàm frequentiſſimã. Hinc
denum magnis urbibus, quæ poſtea geſtæ ſunt Au-
guſtæ, eſt occaſio patefacta.

*pauperibus
Scholaſticis
ſubuenit.*

*Ac multis mo-
diſ pro animis
occupatur.*

*Deligitur ordi-
nationem Augu-
stina Concione-
tor.*

periore Ioannes Faber è sacra Prædicatorum familia, vir à doctrina clarus, & eloquentia, ordinarius in Ecclesia principe Augustana verbi diuini tractator. Igitur Cardinali Augustano permagni interesse existimati in Ciuitatem adeo nobilem, adeoque corruptam, vt vix pars decima integra restaret, vnde & confessio illa fermentum, ac firmamentum iniquitatis manasset, Societatis præsidium introduci, venit in mentem eam fore expeditissimam viam, si Canisio suggestum illud demandaretur. Id fieri nulla prope domesticæ administrationis fraude posse. Quippe urbem velut in medio sitam ad regēda Collegia commodam esse sedem, ac vicarium posse interdum Augustæ substitui, cum Prouincia ei coram lustrāda esset. Nec non dato eo aditu strenuorum par sacerdotum acciri posse, qui porrigendis quoque sacramentis, & cetera Societatis industria rem pietatis curarent, vnde & Collegio demum via præmuniretur. Hæc meditans vigilantissimus Præsul, cum rem ad Canonicos detulisset, tanto illi consensu probarunt, vt miraretur tantam concordiam Cardinalis, & pro diuini nutus, prosperique euentus argumento caperet. Igitur non ipse modo im-

do impense, sed & Canonici eadere cum Lainio
Societatis Præposito egerunt his literis.

R. in Christo Pater & Domine
nobis obseruande.

CUm anno elapso R. D. Ioānes Fabri sacra Theo- Canonicorum
Augustano-
rum litera de
eate.
logia Doctor, & noster in Ecclesia Cathedrale
concionator, qui per plures annos predicando, &
scribendo munus suum nō segniter, sed summa cum
laude apud nos exercuerat, non sine nostrorum, ac
bonorum omnium mœore diem obisset suum, Nos
verò tali egregio verbi Dei præcone destituti cerne-
remus reliquias Catholica plebecula in hac celeberrima
Germania Ciuitate, ceu oues pastore suo desti-
tutas, ac palantes non in modico periculo oberran-
tium passim luporum versari: nihil magis necessa-
rium duximus, quam ut primo quoque tempore al-
lium, qui defuncti ipsius Fabri locum, & prouin-
ciam pari laude, & successu sustineret, nanciscere-
mur. Talium autem virorum apud nos hac præ-
fertim tempestate, ubi pleraq; omnia Hæreticorū
fermēto corrupta sunt, eo minor est numerus: quod
si qui eruditione, & doctrina nō contemnenda præ-

diſi reperiantur, illis tamen non ſtatim publice docendi prouincia tuto demandari poteſt: cum experientia didicerimus quanto verſemur hoc tempore in periculo à falſis fratribus. Quam igitur circumſpecte, & provide in re, tam ardua, ubi de religione Catholica, ac animarum ſalute agatur, nobis agendum ſit perpendentes, eam ob cauſam, ut ſecuro ſex omni parte nos eſſeliceret, & ut virum populo Auguſtano inclyto exhiberemus, qui non tam doctrina orthodoxa cum ſalubriter paſcere, quam etiam exemplo inculcata vita ſaginare poſſet: ea, qua potuiſmus contentione, & ſtudio, & diligentia apud R. doctiſſimumq; virum D. Petrum Caniſium precibus noſtris inſtitimus, ut ipſe hoc munus ad Dei laudem, & Eccleſiæ eius utilitatem ſubire vellet: tandemque effecimus, ut laborem, & conditionem non detrectaret, ſi id ſibi per te Præpoſitum ſui Ordinis ſuperioremliceret. Cum itaque Reuerende, ac modis omnibus colende Domine Præpoſite intelligas, quam in hac inclyta, & celeberrima totius Germaniæ Ciuitate meſſus ſit copioſe, & uberrima materia de religione Chriſtiana bene merendi, & hoc præcipuum veſtri Ordinis ſtudium ſit, ut ubiq; terrarum neceſſitatibus Eccleſiarum per vos accur-

ratur;

ratur; certe nostro quidē iudicio rem magis piam,
Deoq; gratiores, ac utiliores Ecclesia Catholica
prestare vix poteris, quam si nobis nobilem istum ^{Qua esset opi-}
tuum fratrem, doctrina, vite sanctimonia, ac om- ^{nis de Causa} ni-
nium virtutum genere toti Germaniae notissimum
Petrum Canisium hic apud nos morari, ac Con-
cionatoris officiū subire patiari. Id quod nos sum-
mis abs tua humanitate precibus hisce nostris lite-
ris contēdimus, & ut impetremus enixe rogamus.
Ita enim fiet, ut eo pacto & apud Deum optimum
Maximum gratiam ineas, & nos tibi, ordinique tuo
perpetua obligatione obstringas. Ex Augusta 9. die
Maii, anno 1559.

Christophorus à Freyberg, Decanus, totumque
Capitulum Ecclesiae Augustanae.

Talia dum aguntur, minime improbantem ^{Eius modestia.}
Canisium ille retardabat ex modestia magis, quā
susceptus ex vero scrupulus. Se se hominem na-
tum in Geldris, & duntaxat semigermanum, de-
stitui opinabatur vernacula pronuntiandi, & E-
uangelizandi gratia, quam veri Germani afferre,
& in eius dignitatis Cathedris primarij Concio-
natores exhibere soliti essent, necessariam plane
conci-

conciliandæ concioni, ac frequentandæ. Itaque Canonicos ingenuè monuit, suauiorē vt quempiam, aptioremque cooptarent. Tantum ab vitiis dissimulandis aberat, vt nec notabilia profiteretur: tantum ab pulpitis nobilibus supra facultatem ambiendis; vt nec parem se censeret iis, ad quæ ambitiosis votis expetebatur. Interdū etiam veniebat in mentem maius se pretium facturum operæ, si ad scriptionem conuerteret animum, totusque esset, quod ad studia doctrinarum spectat, in Catholicis confirmandis aduersus machinas, fraudesque Sectariorum. Videbatur sibi ea in re Germanis si non eruditis, at certè idiotis, atque simplicibus non solum gratificari, sed etiam prodesse in Domino posse. Sperabat aliquid præter ea, quæ circumferuntur, in medium allaturum, vt saltem Caritate, atq; modestia vinceret plerisque scriptores, qui nescio quos impetūs, & affectus humanos suis libris immiscent, ipsosq; Germanos offendunt magis, quam sanant austeram illam curatione, atq; tractatione. Nec se præcipites editiones probare, aut quicquā præpropere euulgaturum, aut iudicio suo fretum: sed, cum res accurate à Patribus cognitæ, probatæq; essent. Hæc

iden-

*Propensio ad
scribendum
contra Hære-
ticos.*

*Quam viam
in hoc sequi
debet.*

identidem cum recurreret menti cura, ac vereretur ne contra Numinis instinctum despiciendo faceret, cuncta arcana pectoris, ut Patri filius, quo liberaret conscientiam, sincerè Lainio patefecit. Is negligendūnequaquam ratus publicè illum utilitati parafactum aditum Augustæ, Cardinali, & Canonicis Canisium tradit. Canisioq; respondet, utramque ut operam styli pariter, ac linguæ coniungat: telis utrisq; cominus, eminusque rem gerat, ac Dei Ecclesiæ militet. Non potuit gratius quicquam accidere Augustanæ Ecclesiæ, præsertim Artifici Othoni. Et Canisius responsū Præsidis sui, quod sanctissimum, ac prudentissimum consilium vocat, velut à Deo profectum accepit: & ad utrumque munus (nihil enim geminatum sibi negotiū, quidq; orij Prouinciali, & Cōcionatori eius loci relinqueretur, sed tantum Obedientiæ nutum intuebatur) maiore quadam fiducia curam aduertit. Utque intelligas quam nihil de Grolatoraret nomine, sed de utilitate vna publica: quamq; de se humiliter, de aliis præclare sentiret, per hunc ipsum temporis tractum, qui suose-
deret poterat, in alienis quasi educandis, & publicandis multum operæ posuit. Et ordinavit

*libetur & sy-
lo, & voca rem
gerere.*

*Hic Opera ad
prælium concio-
nat.*

*Et quædam
germanice
vertit.*

*Inchoat Augu-
sta ordinarias
concionet.*

aduersus Brentium scripta Cardinalis Hosij, quo
ornatiora, & absolutiora emitterentur in lucem;
& alia eius opuscula germanice vertit. Dicendi
felix auspiciū posuit ex Augustano Ambone
beati Ioannis Baptistæ natali die; continenterque
deinceps maiore cum approbatione, frequentia,
ac fructu auditus est. Paulò post præter explana-
tionem euangelicam, ita temperare cœpit dispu-
tationes, vt in singulis de Decalogi præceptis dis-
sereret. Nec solum ad obseruanda ea cohortare-
tur, sed etiam quid quæque postularent officij ac-
commodate ad popularem captum enuclearet.

*Multipli-
cabat.*

Accedebant, & aliæ subinde curæ: longoq; tem-
pore binas quotidie horas impendit ad recogno-
scendum Augustanæ Ecclesiæ Breuiarium: quæ
multos iam annos eius exempla desiderabat. Nec
ab Societatis administratione tempore vllò ces-
sabat. Anno iam præcipiti Monachium excurrit,
Collegijque res, quod in ea vrbe continuo est in-
choatum, ab se se informatas Nicolao Lanoio
componendas, Fratriq; suo Theodorico, qui pri-
mus Rector Collegij fuit, perficiendas reliquit.

1566.

*Bonus Augu-
sta successum.*

Annus inde eius seculi sexagesimus auxit ma-
gnopere Augustanæ concionis frequentiam, & sacri

sacri Oratoris ad populum Caritatem: vt dum ali-
bi circa per Germaniæ terras religio maioribus in-
dies detrimentis afficitur, contra videretur Augu-
stæ incrementa non pœnitenda capere. Multi e-
nim, quorum Deus per salubrem Catuli sui lin-
guam tetigerat corda, veritate agnita deseruerūt
errores. Maior antecam diem nunquam fuerat
numerus, qui Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacra-
menta bono vsurparent ritu. Ac messis longe ex-
titisset vberior, nisi complures pudendus planè
pudor à Catholicis cœtibus absterreret, vt qui va-
nissimorum hominum inanes magis formida-
bant rumusculos, quam solidam à Deo gloriam
cuperent. Ita miseros ab audiendo verbo vitæ,
quod salutem afferre perditis animis posset Tar-
tareus veterator arcebat. Expeditiores mox ali-
quanto res fecit post Pauli Quarti Pontificis ex-
cessum Ferdinandi Cæsaris cum Pio Quarto con-
sensus: ad quem etiam Pontifex legatum misit
Varmiensem Episcopum, quem & Cardinalem
subinde creauit Stanislaum Hosium. Is gnarus
quanta apud Cæsarem autoritas, quanta rerum
Germanicarum notitia esset Canisio, vehemen-
ter ab Iainio postulauit, vt aliquandiu sibi, ad

*Mittitur
austriam*

communicanda consilia traderetur. Optabat & Præpositus Generalis vt in Austriam, & in Boëmiam pro suo Prouincialis munere excurreret ad Societatis res Viennæ Pragæq; visendas, eo libentius traditus est; quanquam Augustani Canonici, qui videbāt per magni Ieiunij conciones plurimum esse promotum, resq; calentes vrgeri, continentiq; deinceps opere firmari volebant, diu reluctati, perægrè commeatum in modicum tempus dedere. Canisius & compendij causa, & certioris deliberationis, vt qui plurimum gaudebat consiliis, ducto secum Viennam Ingolstadiensi Rectore, eodem & Pragensem accersit, adhibitisque iis in Consilium, vna cū Viennensi, quæ tempus poscere visum est, maturè deliberauit, decreuitque: Socios interim Viennenses piis homiliis mirifice consolans, & ad studia perfectæ virtutis inflammans. Accersebāt ad se Treuirensis, ac Moguntinus Antistites datis sua manu literis, nuntiisq; ob eam rem propriis missis, cum & ipsi Collegia impetrare per eum, & excitare vellent. Sed nobilissimos Præsules necesse fuit, pro obsequio, prompta obsequendi voluntate contentos esse. Ad Euerardum Mercurianū reiecti, qui Prouinciam

Res domesticas componit.

Expetitur ab Electoribus Moguntino, ac Treuirensi.

ciam Germaniæ Inferioris nomine, regebat, per
eum quod expetierant tandem adepti. Petrus suæ
se, cum bona Hofij venia, Augustanæ palæstræ
breui reddidit. Nec tamen ita fuere tenaces Ca-
nonici, quia subinde propiores in Vrbes Ingol-
stadium, ac Monachium ad ea spectanda Colle-
gia, & per autumnum Cæsaris postulatu sinerent
Oenipontum excurrere, vt de Collegij inibi ma-
turandi ratione, formaq; transigeretur.

*Redit Augu-
stam, & Band-
rica remisit
Collegia.*

Ceterum exitu anni huius, & insequentis
principio maior Augusta è sancta eius prædica-
tione apparere fecunditas cœpit. Profecere
multi ad insignem pietatem, ac præ ceteris Vrsu-
la ex illustri familia de Licchtenstain vxor Geor-
gij Fuggeri. Quæ cum Hæreticorum in fraudes
iam pridem incidisset, deinde Canisij opera dedo-
cta, tum exercitiis quoq; spiritus erudita, assiduis
progressionibus forma euaserat matronalis in
omni genere sanctitatis. Hæc non modò suam
domum ad Coenobij exemplum composuit, sed
etiam, quotquot nancisci poterat, nobiles femi-
nas vitæ perfectioris amore succendebat. Tota in
opera misericordiæ, in cultum diuinum augen-
dum, & exornandum effusa. Plus tamen habuit

1561.
*Insignis Augu-
sta ad pietatem
proficua.
Vrsula, & Sy-
billa Fuggero-
rum præstans
Genio.*

celebritatis, ac famæ Sybilla Ebersteina ex præclara Comitum stirpe oriunda Marco Fuggero nupta. Hanc in Lutheri deliramentis à pueritia enutritā, ut est muliebre ingenium primæ institutionis apprimè tenax, nullis Marcus vir eius, nullis focer, cognatique & affines alij orthodoxi precibus, blanditiis, pollicitationibus, seu qua alia arte dimouere ab exitiali errore potuerant. Vbi verò Canisij nomen Augustæ iam celebre fiebat, ita refugiebat ab eo, ut nunquam audire hominē, ac ne videre quidem voluerit. Ita obstinatæ diuina bonitas singulari succurrit ope. Ipsa Canisij species oblata est quiescenti, admonens, & cohortans ut animæ salutem consuleret: à fallaci superbarum nouitatum errore, ad rectum Ecclesiæ sanctæ, & seculis ante tritum omnibus callem regrederetur. Ea specie, atq; cohortatione perculsa, diuinumq; esse id monitum statuens, Canisium postero die accersit. Nulla fuit ei cunctatio, sed fortè ita euenit, ut dum ipse à Marco Fuggero comiter exceptus officiosos inter sermones lento deducitur, comes eius in conspectum Sybillæ veniret. Et illa hominem intuita, conferēs speciem, cum simulacro, quod mente gerebat, statim animaduertit,

*Sybilla mira
ad Catholicos
conuersa.*

vertit haudquaquam esse, quem in somnis vidisset. At ubi protinus vna cum Marco Canisius apparuit, agnita oris figura, Hic verò est, inquit, quē expetebam, cuius mihi secundum quietem imago visa. Tradidit ergò sese disciplinæ eius, & facta paucis diebus catholica, hunc è veteri pertinacia fructum capiebat, quod nullis à viro, soceroque, & aliis de sententia præmiis esset deducta, ne Christum, ac fidem auro, gemmisque vendidisse diceretur: aut inde postea sibi de religione tanquā minus recto studio commutata morsus conscientia resideret. Et ipsa perinde, atque Vrsula, non Catholica modò sacra perdidicit, sed Beati quoque Ignatii meditationibus erudita toto pietatē animo capessivit. Dedit operam primum, ut domum suam penitus Lutherana purgaret sece: deinde ut alios quoque vel ad Catholicorum partes adduceret, vel iam Catholicos ad exactam prouheret pietatis custodiam. Eadem vestium suarum pretiosissimas in sacram supellectilem conferre: largam in egentes, præsertim tenuiores Scholasticorum distribuere stipem; locupletibusque Matronis ad eandem benignitatem hortatrix assidua esset. Longum in precibus, longum in templis

plis, reuerentia spectanda, versari; diuina & ætas quoque die instaurare mysteria: ante omnia disciplinam domesticam sanctissime, & pacatissime regere. Quibus institutis breui non modo tota Augusta celebrari cœpta, verum etiam apud suū coniugem Marcum, & caritatem maximopere auxit, & venerationem; raraque virtutis opinio- nem adepta est. Ineunte anno seculi eius primo & sexagesimo ab Hæresi conuersa est; moxq; alij atque alij consequuti viri femineque; quod mul- torum retro annorum memoria nunquam eue-
*Restorescit Au-
 gusta religio.* nerat. Quo in numero cum haud plebei solum, sed & nobiles ac prædiuites minimè pauci specta- rentur, scilicet ex horum splendore causæ quoque religionis splendor, & auctoritas accedebat.

Ad hæc pariter cum viua Ecclesia renouaban- tur etiam sacra templa, & ornabantur restitutis quæ impius Iconoclastarum eripuerat furor, vic- tricibus venerandæ Crucis trophæis, & aliis reli- gionis insignibus. Diuinissimo quoque Eucha- ristix Sacramento religiosus, ac nobilis appa- rus additus erat: denique noua passim rerum faci-
*Ratio conser-
 uandi Canisij.* es Augustam visentibus occurrebat. Egit sacer im- terpres tractatibus multis de verbo Dei, quò vno
 maxi-

maximè per temerariam iactationem gloriari solent Hæretici. Diu quoque de supremo disputavit iudicio, quam ad perfundenda salutari timore mortalium corda potentem materiam comperit. Malebat enim Diui Chrysostomi exemplo, & ad persuasionem, effectumque accommodatius existimabat, hæere diu in vna aliqua tractatione loco opportuna, diuq; idem quasi ferrum tundere, quàm varietate fortasse iucunda auditoribus, sed non perinde grata, ferere multa, nihil perducere ad maturitatem. Illud ex disputationibus prioribus factum est, Deo iuvante, ut Hæretici ipsi multum ambigerent, esset ne Dei verbū, quod adhuc ex adulterina Lutheri interpretatione, impudenterq; corruptis sacris codicibus hauserant: ex posterioribus autem morum insignis emendatio in omni hominum genere cōsequuta. Itaque superstitionis insanæ Magistris magnū erat negotium, ut in sua continerent disciplina, quos per fraudes antè circumscripserant, cū fraudes ipsæ in apertum prolatae sub oculos omnium subicerentur. Fuit qui palam in circulo vnum è Prædicantibus in turba ita perfringeret, Canisius sanè cogit vos studere, & virgis expellit. Ipsi verò

*Hæreticorum
Ministri fa-
tentur esse
præstantiam.*

Z id

id adeò non negabant; vt vnum obstare Canisij
quererentur, ne Euangelium ipsorum Augustæ
procederet. Quin etiam de grege fuit eorum, qui
interaudiendam illius Disputationem erupit in
hanc vocem. Profectò resisti vëritati non potest.
Hoc ergò procacius, qui instar surdæ aspidis ob-
turabant aures, destituti verò robore, & iusta cau-
sa, maledictis, & calumniis, & scommatis mor-
dacibus, & scurrili petulantia, & omni genere il-
liberalis, impudentisque artis in Iesuitas, maxi-
mèque in Canisium incurrebant. Pessime quoq;
regressos ad sanam mentem accipiebant; Et qui-
bus poterant, inurebant turpitudinis notis, & af-
ficiébāt detrimentis. Vnde fiebat, vt multi com-
perta fallacia Hæreticorum, neque illis commo-
dare ampliùs aures, animasque permittere suas
vellent, neque sociare se orthodoxis gloriosæ me-
tu infamiæ, damnosisque prohibiti emolumen-
tis auderent. Inuitabat secunda hæc aura, benig-
nusque adeò diuini Spiritus afflatus Mercatorem
cælestem vt tota explicaret vela. Et quanquam
iam diu supra humanam imbecillitatem laborẽ
contenderat, tamen vt aliquid noui assiduè mo-
liretur, per Magni ieiunij tempus eius, quem ex-
quimur,

*Venant reuer-
sit ad sanctam
Ecclesiam.*

*Canisij indo-
sita industria.*

quimur anni, ad conciones ordinarias, quæ quaternæ in hebdomada antè solēnes erant, ternas de Catechismo scholas adiecit. Placuit is labor plurimum eruditissimæ, ac rudibus; perindeque accidit salutaris. Quippe cum essent explicatius tradita, quæ ad iustam, fructuosamque exomologesim spectant, quæ commoda è frequentandis existant diuinis mysteriis; præterea (quod in Ciuitate negotiationibus multis, ac magnis implicita præcipuè necessarium erat) quæ iustæ, quæ iniquæ contrahendarum rerû formulæ essent, multi scænebres rescidère contractus: alij malè parta redhibuere dominis: plerique aduersus eiusmodi iniuriosa negotia obfirmarunt animum. Tum verò ab longo annorum numero virio conceptæ ad veram instauratæ normam confessiones: & deinceps, qui per scædam, impiamque socordiam oblitæ, ac neglectæ iacebant diuinorum mysteriorum thesauri, ac fontes, cœpti frequenter, ac religiosè adiri. Dum asperissima sæuit hyems seminuda vrebatur gelu inopum turba Scholasticorum: nequaquam eos oblitus est misericors Pater, publica exhortatione bona pecuniæ corrogata summa in suis membris Christum Dominum re-

*Pauperes
Scholasticorum
oblitus.*

Renouat ieiunij morem.

xit. Id genus pauperum eo semper studio maiore complectens, quo digniores eos liberalis industria & spes emolumenti publici faciebat. Aliis inquilinorum qui recto carebant, vel cogebantur ex conductis domiciliis præ inopia demigrare, neque conducendis nouis præsto erat facultas, item opulentiorum liberalitate prouidit. Nimiū multos Catholicorum è primis tanquam hæretica contagione afflatos corripuerat contumacis gulæ morbus, vt vetitis cibariis per quadragenarium ieiunium passim vescerentur. Qui verò iusti morem ieiunij, vel vnum in omni vita tenuisset diem, vix inuenires ex vniuersa multitudine vnum, quem instar miraculi demonstrares. Hūc quoque languorem cœlestis medici saluberrima vox magna ex parte sanauit: & escis temperatum est interdictis, & iusta ritè ieiunia, atque adeò etiam voluntaria liberis temporibus, maximèque ad memoriam Crucis Domini feria sexta deinceps in mores inducta. Ad expiandos autem confitentes, & exercitia Beati Patris dictanda, & alia pietatis munera habebat Canisius adiutorē Guilielmum Elderenum impigrum sacerdotem, & alios interdum aliquos; sed omnium diutissimè Elde-

Elderenus adiuvit: qui & Catechismum præterea domi explicabat bono numero puerorum ex prima ferè nobilitate.

Anno eodem præclarum edidit libellum *Canisius* Germanica lingua, in quem formulas precandi pulcherrimas ad varios usus collegerat: qui statim probatus, summaque cupiditate manibus omnium teri coëptus. Placuit usque eo Cæsari, ut quo longiùs funderetur, continuò censuerit latine quoque vulgandum. Editus est parvus quoque Catechismus, sicut paulò antè maior exierat, appposito iussu Cæsaris auctoris nomine. Et quia nullam vir solertissimus non tentabat viâ, per quam religionem proucheret, ac pietatem aleret, ex operibus sancti Hieronymi ornatiores selegit epistolas, ediditque eo consilio, ut Christiani adolescentes haberent Christianos fontes, unde non latinam solùm, sed & Christianam linguam, & eloquentiam haurirent. Opus Academiæ Dilinganæ, quæ in sancti Hieronymi tutela est, dedicavit. Magna quoque cura Beati Cypriani iam pleraque operum emendarat, sed eum postea laborem cum ab aliis susceptum cognosceret, prætermisit. Nec verò lucubrationibus suis tantum,

Z 3

suoque

*Edit libellum
precatorium.*

*Parvum Cate-
chismum.*

*Selegit Episto-
las S. Hierony-
mi.*

*Excitat doctos
ad scribendū.*

*Et Typogra-
phos ad piis li-
bris edendas.*

*Promonet &
per literas reli-
gionem.*

suoque ingenio, sed etiam nunc amicis, maxi-
 mēque Martino Cromero, & Friderico Staphy-
 lo, nunc Theologis de Societate ad stringendum
 stylum extimulandis, per aliena ingenia, manus-
 que multas sacrū cum impietate ciebat bellum.
 Quippe notum est, aiebat, scriptis hoc seculum
 delectari, & Catholicos confirmari, & Hæreticos
 debilitari, & pios recreari plurimum. Quare hac
 quoque ratione non sint filij lucis imprudentio-
 res, quā filij huius seculi, & tenebrarum. Ille
 verò Typographos super hæc Catholicos arcta si-
 bi familiaritate, ac necessitudine coniunxerat,
 quo proclivius adduceret ad locupletandam Rē-
 publicam bonis codicibus: quanquam Augustæ
 quidē eo tempore Typographia Catholica nulla
 erat. Inter ceteras autem occupationes, nec ea
 quidem siue negotio, siue fructu postrema, rece-
 ptio erat, & missio literarum. Consulebatur enim
 à maximis viris de rebus gravissimis: & ipse ultro
 literis appellabat suis, quos existimabat posse
 publicæ rei prodesse: Quæ sanè plurimæ erant:
 nec pauciores illæ, quas Prouinciæ suæ admini-
 strandæ causa accipiebat, dabatque, quid facto
 foret opus præcipiens, respondēs dubitationibus,
 conso-

consolans incoerentes, recreans fatigatos, incitans lentos, omni deniq; boni Rectoris, Ducis, Patrisque fungens officio. Ad hos porro labores tam graues, tamque multiplices quis non miretur vni homini vel tempus suffecisse, vel vires? Sed nimirum adest pie laborantibus vigor, ac robur è cœlo: & gnauiis hominibus industria mirè producit horas. Sub id tempus inualuere plurimum in Gallia Hugonotti, Hæreticiq; Caluiniani: nec occasionem Lutherani prætermisere. Seditiosum sparserè scriptum, quo Regi Gallia sua probare fabulosa inuenta conabantur. Effecit Canisius, vt sanum doctumque contra scriptum, haud dubiè conditum ab ipso, prodiret, quo apud eundem Regem eximium suum Catholici religionis tuenda studium declararent. Reflorescente autem religione in vrbe Augusta, reuiuiscere simul cœpta, ac reuiscere, quæ penitus videbatur emarcuisse Virginitas. Multæ puellæ quanquam & generis nobilitate, & diuitiarum amplitudine ad blandimenta seculi pellicerentur, nuptiis tamen mortalibus præoptare integerrimos, æterni Sponsi complexus.

*Etiā de Gal-
la scriptum,*

*Excitatur Ad-
gusta Virgini-
tas.*

Ergo tali successu gratulabantur sibi præco-
rum

*Gratulationes
de Augustano
professu.*

rum rituum veriq; cultus affectatores, quod nulla in Imperio Ciuitas, quæ ad Lutherum semel decerrasset, pari gradu se referret ad Christum. Quod sanè admiratione non carebat, cū essent vel duodecim Augustæ, qui cathedram pestilentix insiderent, ferme etiam decuplo maior, vt supra quoque prodidimus, aduersariorum numerus, eorumque opes, & vires maximæ: contentio, fraus, violentia summa, vt clam, palam hostili animo, hæretica peruicacia insectarentur, qui ex prophana ipsorum synagoga ad sanctam Christi Ecclesiam transitum vel fecerant, vel parabant. Deniq; sapientum omnium erat sententia permagni referre, vt primaria illa Respublica, in quā totius Germaniæ & oculi, & animi ferme intenti essent, talem haberet Ecclesiastem, atque Doctorem, cuius autoritas, præterquam quod longe, lateque claret, simul aduersariorum in ea vrbe, circaque obscuraret doctrinam, prohiberetq; conatus; simul recte sentientes intra religionis septa contineret. Itaq; & qui præsentés aderant Catholicæ rei amâtes, officiosissimis verbis, & absentes quoq; per litteras tam optatum Canisio bonorum laborum euentum gratulabantur. Ipsemet Pontifex Pius

*Pontifici de
se laiciis.*

Quartus

Quartus cum ab Augustano Cardinali, qui maxime omnium triumphabat, Romæq; versabatur hoc tempore, ea cognouisset, vehementer exhilaratus ultro dixit. Verè digni sunt fauore hi Patres: atq; equidem quicquid ex me priuilegij, beneficiique spiritualis Pater Canisius, aut Societas ipsa postularit, volens concedam. Tum paterno studio gratulandum Canisio, addendosque animos putauit propriis literis: quarum exemplum hoc est.

Dilecto filio Petro Canisio, Ordinis Societatis Iesu Christi,
Pius PP. Quartus.

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem. Ad aures nostras, dilecto filio nostro Othone Cardinali Augustano referente, peruenit, quo studio, qua diligentia, qua caritate des istic operam, ut quàm plurimos eorum, qui Hæreticorū fraudibus decepti à recta religione aberrarunt, in salutis viam reducas: quantum etiam superna cooperante gratia proficias. Magna nobis consolatio

*Littera, quibus
Canisio gratu-
latur.*

a

ni fuit

ni fuit tam optatus nuntius. Agimus Omnipoten-
ti Deo gratias, qui pro sua misericordia tam mul-
tos iam, sicut audiuius, per ministerium predica-
tionis tue in Ecclesiam Catholicam reuocarit. In-
sta fili, ut cœpisti, & enitere, ut quam maximum
animarum lucrum facias. Vrget ampliam, tam
sanctam negotiationem. Noli defatigari in tam
sancto opere, sedulitatis tue ab eo, cui famularis id
p̄m̄ium laturus, quod bonis, & fidelibus seruis suis
promisit. Si quid vero à nobis desideras, quod con-
ferre aliquid posse credas ad animarum salutem, li-
bentia animo quicquid postulaueris, concedemus.
Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Pesca-
toris, die 5. Martij, 1561. Pont. nostri anno secundo.

Canisij re-
sponso.

Attulerunt hæ literæ tot inter ærumnas mul-
tum consolationis, animiq; famulo Dei: & ad eas
responsum hoc edidit.

BEatissime Pater, Immortales ago, habeoq; gra-
tias q̄ sanctitas Vestra, qua nihil in terris est
sublimius, ad me, quamuis exiguum, & indignum
literas dare, suumque famulum tot modis recreare
dignata est. Benedictus Deus, & Pater Domini
nostri Iesu Christi, qui admirabili spiritu suo tam
potenter, quàm suauiter operatur in S. V. ut ei-
dem

dem cura sit non modò generalis Ecclesia totius administratio, verum etiam specialis huius Germanica Nationis, atque adeò Civitatis Augustanae restitutio. Utinam vero nos, qui Minima Societatis Iesu professores in hac germanica messe tot modis corrupta versamur, utinam, inquam, in Domino id prestare possimus, quòd praeclaris Sanctitatis Vestrae votis, suaeq; paternis monitis dignum esse videatur. Ita fieret sane ut hac ipsa Christi Vineam non solum à feris, & lupis rapacibus, qui in ea tam diu, tamq; perniciosè grassantur, vindicaretur, verum etiam summo Pastori suo, & unico in terris Vicario, eiusdemq; ovile Apostolico statim, & integre restitueretur. Ad quam rem curas quidem, & operas omnes habemus polliceri, adeoque vitam ipsam, & sanguinem ad unum debemus profundere, praesertim si professionis nostrae, & huius sanctissimae sedis rationem debitam habere velimus. Sed enim ut voluntates nostras, & has qualescumque conatus divina bonitas prosperet, qua sine frustra tētamus omnia. Equidè supplicem à Beatitudine Vestra illud petimus, & obsecro, ut hoc sua singulari favore, & Apostolica benedictione, aliisque Societatis huius operarios passim in Germania sudantes nunquam

*quam destituerat, sed continenter prosequi pro sua
eximia pietate dignetur.*

*Lustrat suam
provinciam.*

Per ætatem vti priore anno fecerat, assumpto secum Ingolstadiano Rectore Nicolao Lanoio Austriam, & Boëmiam peragrat. Pragen-
se, & Viennense inuisit Collegia, quæque opuse-
rant, pro instituti ratione constituit. Quod ipsum
frequentiore excursu, vti in viciniora, Ingolstadij,
& Monachij in Bauaria fecit. Viennæ cum esset,
egit prolixè cum Cæsare, qui ad multas, grauesq;
deliberationes sententiam notæ iam sibi sapien-
tiæ eius, & scripta voluit. Cum eo simul transactû
de Oenipontani Collegij primo quoq; tempore
faciendis exordiis. Pragæ quoq; cum Ferdinando
Archiduce familiariter multa de religione tuen-
da contulit. Summam ad id voluntatem Archi-
dux præse, & aduersus Canisium benignitatem
singularem tulit, quem & proficiscẽtem suo cur-
ru, quo veheretur vti coëgit. Ille dum redit, ex itin-
nere aliquanto tempore hæsit Eluangæ postula-
tu Cardinalis Othonis. Præpositus eius Ecclesiæ
erat Otho: & quosdam ab Hæreticis in fraudem
inductos modis omnibus dedoceri, reuocarique
ad Catholicos cupiebat. Iacta sunt apostolica re-
tia,

*Eluangam co-
natur Hæresi
expurgare.*

tia, & conclusa piscium multitudo minor quidē
votis, haud tamen poenitenda. Augustam inde
peruectus, repetitoque confestim veteri doctrinę
curriculo, habuit auditorum propensiora studia,
quo tanquam recentes, & integri ad recentem, ac
nouum ex interuallo audiendum redibant. Itaq; *Indulgentiam in
merito enisi-
mationem Am-
gustæ repouit.*
sub annum extremum cum Iobelum Ponti-
ficium ad Concilij successum, quod Tridenti re-
petebatur, promulgasset, adiecitque more suo
de ea largitate doctas, copiosasque disputationes,
eam vulgo commouit pietatem, vt ipsemet, rerū
suarum minimē benignus narrator, affirmet, dici
vix posse quam ea res feliciter euenerit. Scripsere
alii, & quidam Canonorum post centum an-
nos tantam religionem Augustæ nunquam con-
spectam. Nunquam par extiterat ardor in sinceris
Christi cultoribus: nunquam plures rectę fi-
dei desertores perfidię castra deseruerant: & in-
gratiam cum Ecclesia sancta redierant.

Verum enim vero, quantam boni omnes ca-
piebant lætitiā ex instauratione Concilij, tanta
Canonicos Augustanos incessit cura, ne sibi Ca-
nifus, edo passiter quocatus, eriperetur. Inde ab
Cardinali Ottone valde per litteras institere, vt

*Contendunt
Canonici ne
ad Concilium
associetur.*

eam rem cunctis omnino opibus prohiberet. Fieri enim nequaquam posse, ut rei Christianæ publicæ par afferret Tridenti momētum, vbi summus cum esset sapientiæ flos ex omni Christiano orbe adfuturus, vnius viri vix sentiretur absentia; atq; Augustæ, vbi periculum erat, ne recens ad sanam mentem conuersi, nec dum satis confirmati aduersariorum impetus sustinere non possent: ipsique Lutherani, qui nunc velut percussi, prostratique deiecerant animos, per absentiam inuicti propugnatoris erigerentur, ferociusque orbam, & nudam præsidio turbam invaderent. Haud frustra erat metus, & sollicitudo Canonorum. Eodem tempore in Concilio ipso vehementer Pontificij agitabant Legati, ut idem aduocaretur, cum propter insignem doctrinam, tum propter vsum rerum germanicarum haud vulgarem, ut multum referret morbos ex eo, causasque, & remedia eorum cognoscere. Sed eo tandem ventum est, ut, quoniam præcipuum bene gerendæ rei apud Augustanos magni ieiunij tempus erat, eotempore de statione nequaquam moueretur: postea tamen omnino ad tempus aliquod euocandum videri. Et cum iam ipse

ipse esset solitus per æstatem ad visenda Societatis Collegia proficisci, eamque vacationem satis constaret nihil admodum Augustanis rebus incommodare, posse interuallum, & intercapedinem illam in Tridētinam commorationē transferri. Hæc ita cum Tridenti stetissent, eadem Cardinalis Hosius ad Cardinalem Augustanum perscripsit in Urbem, rogans ne moram in illud tempus obiectare vellet. Quibus literis per has ad verbum Augustanus respondit.

Deliberatio vestra de accersendo Patre Canisio non parvam dubitationem habet: pieque, ac sapienter veriti estis, ne, si Tridentum is euocetur, magnam in eius discessu iacturam faciat non solum Augustana Ciuitas, sed & illa Iesuitarum sodalitates, quæ sunt in Germania, quibus is operam dat pro Magistro Societatis: & multi præterea mortales, quos partim præsentia sua tuetur, partim reducit in viam. Quæ etiam fuit causa Collegio Augustanorum Canonorum, cupiente Cesare ipsum Canisum Legatum de Concilio Tridentum mittere, repugnandi, vehementerq; obsistendi, ne inde moueretur. Eadem me ratio de sententia deduxit, cum hominē istò venire mea causa peruellem: quod postea

1562.

Cardinalis Augustani littera. Quomodo ad Concilium Canisium vocandus.

postea munus Montalcinensium Episcopo viro optimo delegavi. Sed quoniam tanti interest illum in istis actionibus interesse, recte eius evocatio differetur in id tempus, quod scribit Amplitudo tua. Non enim potest is Augusta sine maximo multorum, ut leuissime dicam, incommodo abesse Quadragesima tempore: qui ne diutius quidem mihi videtur istic postea retinendus, sed quam brevissime poterit, remittendus in illam Domini messem, ubi eius est opera necessaria. Sed quid optimum factu sit pro vestra sapientia vos statuetis, quorum prudentissimo iudicio non solum aequissimo, sed etiam libentissimo animo assentiar: idq. & utile, & salutare semper iudicabo, quod ipsi tum hac in re, tum in aliis praeerea decerneris. Amplitudinem tuam cupio valentem, & incolumem esse, quam Deus servet. Roma Tertio Nonas Ianuarij, 1562.

Interest reformationis Ingelstadianae dicendum.

Interim nouo inito anno euocatus à Bauaro Duce operam conferre iussus est ad Academiae Ingelstadianae nouam conformationem: multumq; fatigatus, ut Collegium Straubingae condendum susciperet. Illam prope vnicam ægerimae Ciuitati restare opem. Pietatem ille Principis ex merito commendauit; rem tamē ostendit nec suae

fuæ esse potestatis, nec facultatem Societati præsentem adesse ad tam multas vno tempore colonias deducendas. Nec aliter Præpositus Generalis respondit: perq; sociorum penuriam factum est, ut præterueto illo commoditatis articulo, Societas Straubingæ postea Sedem nunquam locarit. Vbi ieiuniorum solenne tempus affluxit, sacer ^{Quotidianorum concionum morem Augu. sta inducit.} Athleta vetus stadium noua contentione ingressus Euāgelicas conciones, quæ, vti supra demonstratum est, quaternæ in hebdomada ante solennes erant, quotidianas instituit. Superat autem ^{Qua præparatione concionaretur.} propemodum fidem quanta cura, ac præmeditatione, quot fuis ad Deum precibus, quanta afflictatione corporis præparatus ad dicendum accederet: gnarus videlicet neq; qui rigat, neq; qui plantat esse aliquid, sed qui incrementum dat, Deum. Et tamen aliis interea plurimis distinebatur, occupationibus piis; Feriaq; sexta, ac Sabbato totos dies audiendis peccata confitētibus dabat, ut de nocturnis horis decerpendum esset, quod ad eudendam, limandamq; orationem, quod ad solennes preces conferebatur. Dum autem omnia Deo, & proximis, omnia mēti, & animo dantur, nihil corpori reseruatur, nimirum imbecilla

b caro,

caro, cum diu robore sustentata spiritus durasset, tandem non procul à meta, hebdomada ipsa maiore succubuit. Sed breui Deus piorum vota, ac miserorū necessitates respexit, vt explicitus morbo reponeret in Paschali lætitia quod fuerat in Parasceues mœstitia persoluendum. Extiterat autem ex diuina semente vberriam, si vnquam, fruges. Mille amplius hoc anno, quam superioribus annis per sanctam Christi anastasin ad diuinas epulas obseruatum est accessisse. Inter adiunctos ad Ecclesiam duo præcipuè spectandi fuere. Virgo prænobilis, eademq; Comes, quæ quanquam discessura esset Augusta, & ad Hæreticos, vnde venerat, propinquos reditura, tamen fiduciæ tantum concepit, vt inter eos non desperarit, Christo beneciuiuante, obtenturam in agnita veritate constantiam: & Patricius Augustanus, qui tota vita grauiter à Catholicis alienum gesserat animum, prognatus ex parente, qui Hæreticorum semper columen, & princeps habitus erat.

*Impens ex eius
laboribus anti-
marū fructus.*

*Ad Conci-
lium aduoca-
tus.*

Vbi perfunctus est paschalibus officiis, obfisti non potuit, quin Patribus Tridentinis mosgeretur. Positis ergo ex itinere Oenipontani Collegij exordiis, Tridentum mense Maio perrexit.

Fuit

Fuit tanti viri adeò fama inclyti, expectatiq; ad-
 uentus, & conspectus tum ceteris periucundus, <sup>Adventus
Cardinalis
Hosii sanati</sup>
 tum miro modo salutaris Hosio Cardinali. Decū-
 • bebat optimus Præsul sanè grauitè, deque vita
 penè desperans ad exitum adornandum seriò ià
 curam adieccrat. At ubi Canisius aduenit, ita dul-
 cissimi conspectu amici, coniunctissimiq; com-
 militonis præsentia affectus est, atque adeò san-
 cti viri salubritate vir sanctus affatus, vt omnis
 continuò languor abscesserit. Quod pro insigni
 Dei beneficio ipsemet Cardinalis nec mirari de-
 inde, nec prædicare desinebat. Occupationes cõ-
 festim plurimæ, variæque ad Canisium quasi ag-
 mine conuolant. <sup>Occupationes
cum eo Com-
cilio,</sup> Archiepiscopus Pragensis An-
 tonius de Muglitio, qui nuper ab longo interval-
 lo primus ei Ciuitati, haud nullo Canisij ipsius
 merito, studioque redditus erat, plurimum viri
 opera utebatur: longè plurimum Cardinalis Var-
 miensis, idemque è Conclij Præsidibus, quem
 nuper appellauit, Stanislaus Hosius: qui cum eo
 totum animum & intimos sensus, & quicquid ad
 priuata, publicaue attineret negotia, tanquam
 altero se communicabat. Ad hæc consilio adnu-
 meratus est Episcoporum, atque Theologorum,

quibus demandata erat emendatio Indicis, quem Romani censores de libris non legendis ediderāt. Dixit & suam inter Theologos de Eucharistia sententiam pari cum laude doctrinæ, atque modestiæ: quem ille successum, vt alios omnes, haudquaquam suæ vlli facultati, sed sociorum apud Deum promeritis, & precationibus adscripsit. Nihilominus tamen pro summo illo sui contemptu videbatur sibi in eo sapientum Concilio velut anser inter Olores: vtque alibi loquitur, a finus ad lyram. Itaque paulò amplius mense Tridenti versatus, cum & à Cæsare Oenipontum, & ab Orhone Cardinali Augustam euocaretur, lætissimus ipse ab omnibus ferè inuitis dimissus est. Oeniponti iam erat collegij firmans initia; cum Societatis Præpositus Generalis Iacobus Lainius ex Gallia Tridentum contendens Augusta transiuit. Mira Lainium Augustanorum Catholicorum excepit benignitas: sed omnium eo conspirauere preces, vt Canisium ipsis suū primo quoque tempore restitueret: adeoque contendere, vt cogerent polliceri protinùs redditurum. Itaque vbi primum Oenipontum peruenit, missa omnia alia cura redire protinùs Augustam iussit.

Exce-

*Modestia, &
humilitas.*

*Repositus ab
Augustanis.*

Exceptus est nunc quoque, & auditus maiore
 quadam auiditate tanquam ex longo collecta
 fame Præcipuè autem salutaris reuersio fuit Ana- *Nobilem Ana-*
 baptistæ grandæuo, qui bona ætatis parte in ea *baptistam con-*
 hæresi consumpta, iam & partibus Magistri su- *uerit.*
 sceptis Augustæ conciliabulum quoddam ex pa-
 riter delirantibus domi suæ frequens habebat,
 eorumque omnem autoritate præcipua guber-
 nabat. Cum autem præstans in artificio, quod
 profitebatur (& solent Anabaptistæ in operibus
 artium profiteri subtilitatem) idemque, quantū
 monstrabat facies, extra hæresin, homo esset mi-
 nimè malus, ab omnibus ferè diligebatur. Ergò
 coniectus in vincula, cum Protestantes æquè, Ca-
 tholicique certarent, vt ad partes perlicerent, &
 ad suos audiendos Doctores inuitarent, prætulit
 omnibus ipse Canisium: acturumque cum vno
 illo pronuntiauit. Continuo Pater ad eum vna
 cum Duum viro catholico venit. Disputatio in- *Modestia &*
 stituitur, sed modesta admodum, atque tranquil- *Caritatem ad*
 la, collationi propior; vt Anabaptista facilitate *conversionem*
 Patris, & caritate plurimum caperetur. Denique *efficacia.*
 illapso diuinitus radio, ita permotus est, paula-
 timque dedoctus, vt veritati manus daret: sectæ-
 b 3 que

que impiæ capita in libello proposita chirographo suo configeret : ad extremum productus in curiam coram toto senatu omnes reuocaret , & execraretur errores, addito Sacramento nihil tale posthæc defensurum , aut crediturū. Canisius aut tot inter labores, & curas vt vna, eadēq; opera Ecclesiam vtrāque, & quæ triūphat in cælo, quæq; militat in terris, demeretur, locuples Martyrologium accuratè compositū euulgauit approbatione magna, nec vsu minore. Ita nunq̃ exhaustabatur, nunq̃ de lassabatur, fecunda illa, & quasi ferrea caritas. Ita calami vires cum voce iugebat.

1563.

*Gravissima in
causa reipub.
lica succurrit.*

Dum ita res è sententia fluunt Augustæ anno iam exorto seculi eius supra sexagesimum tertio euocatur à Ferdinando Cæsare Penipontum gravissima de causa. Quam super fidei exequi pluribus hoc loco. Illud modò significarim, cum res ad Concilij tranquillitatem, & dignitatem sedis Apostolicæ pertineret, ac proindè ad publicæ Christianæ rei pacem, ita apud Ferdinandum, cuius piam mētem consiliis parum opportunis per simulationem Reformationis auertere quidam conabantur, liberè, sapienter, ac demū feliciter contendisse, vt Romæ Pontifex ex Cardinali Morono

rono cognita re, adeuntem ad se Franciscum Borgiam, qui Vicarius Societatem administrabat, benignissimo complexu exceperit; impertiensque benedictionē magnificè res à Canisio gestas Oniponti commēdarit. Nec minor Cardinali sancto Borromæo, & aliis approbatio, & gratulatio fuerit, ac tota demùm Aula repleta suauissimo odore sit, iucundissimoque sonitu Canisiani nominis. Is tamen vniuersa Romanorum sociorum precibus tribuens, Agnosco inquit, beneficium singulare, quo me hoc loco publicis negotiis impeditum prosequi voluistis; simulque pro me, & Cæsare Deum Optimum Maximum estis precati: atque vtinam quod mei muneris erat, & Ecclesiæ dignitas requirebat, ita præstitissem sedulo, vt quidam istic fortè prædicant. Agimus tamen gratias Deo, qui moderata ex turbulentis reddidit consilia. In causâ tamen Calicis nihil eorum, quæ oportebat, obtinuit. De qua re paucis referam.

Fuit illa per id tempus artium Satanae veterationia in primis, ac miserè felix, vt per Septentrionis Prouincias diuinissimi Eucharistiæ Calicis populo euulgandi excitaret immanem quandam,

vt

*Hæreticorum
fraus in sacri
calicis usu sul-
genda*

ut honestissimè dicam; impatientiam. Quo in speciem religiosior cupido videbatur, hoc faciliùs simplex multitudo circumueniebatur: hoc incitabatur effrenatius. Enimuerò id speculati vlcus Hæretici (quin & ipsi fecerant) in id maximè vnguem infigere, id vsq; acriùs exulcerare clam, palam, omni ope. Id porrò agebant, ut vel semel mota loco Ecclesiæ autoritate, cetera sensim in præceps traherent; & assuetis ad contumaciam, ac seditiones populis, cum libitum foret, nouas concirent turbas, vel satum ab se aduersum Apostolicam sedem odium in dies magis alerent, propagarentque; ut segregati à vero Pastore, atq; custode greges lupis continuò præda fierent. Igitur ita passim per eas Prouincias exarserat promissum diuini calicis vsum extorquendi certamen, ut graues impendere motus opinio esset, si fortius obsisteretur: adeòque fractos, ac desperatos Cæsar, & Bauarus Dux, & alij Principes gerebant animos, ut erigere eos, & ad studium tuendæ religionis confirmare, atque admonere perperosum esset. Nam præter Theologos, qui palam, ac pugnaciter ad eam rem conuocabantur, alij passim defendebant eiusmodi statu rerum de rigido, ac summo

summo iure aliquid remittendum, nè fecdissima
 in tempestate velut in tranquillo videretur sum-
 mi Pontifices extrema sectati. Sed non satisfa- *Canisius com-
 flavit.*
 cit mihi, aiebat Canisius, humana isthæc pruden-
 tia. Tempus est confitendi nunc ea, quæ ad Eccle-
 siæ autoritatem vindicandam spectant: & si veri-
 tas odium parit. Sed virtus circa difficilia versa-
 tur. Nihil igitur nisi admoneri cupiebat à Præ-
 positis suis quæ sibi insistenda via inter has ambag-
 es esset, Patrum confidens affuturam precibus
 opem cœlestem, ut intelligeret, vellet, ac posset
 eius explere muneris partes, quod Christo Domi-
 no, Ecclesiæque sanctæ id loci deberet. Agnouit *Zelus.*
 in Apostolico viro apostolicum pectus, quod
 omnium solitudine Ecclesiarum tabesceret: in-
 firmitatibus omnium ægresceret, omnium scan-
 dalis vreretur. Quid ille non & lacrymarum, &
 gemituum fudit, ubi post paulò vidit turbulen-
 torum hominum postulationibus indulgenti? &
 in dies maiorem patefieri fenestram ad Ecclesiæ
 sanctæ autoritatem conuellendam, & sacrificiū
 ipsum abolendum? Videbatur sibi videre stragē *Fides.*
 sacrorum, & pessum ire omnia donec sublata
 mente ad æternæ mentis consilia, se sequere pre-
 hendens,

hendens, sed præpostere anxius sum, aiebat, fundati sumus supra Petram. Ita temporum calamitates faciebat sibi virtutum segetem: Zeli que sancti cultro confixus quotidie in odorem suauitatis Hostia viuens immolabatur. Nec dissimularim apud Ferdinandum ipsum adeò contendisse in his, quæ interesse pietatis existimabat, vt ex illa demùm gratia tanta contra sentientium studiis, non nihil detritum sit.

*Hæreticorum
in eum & So-
cietatē probra,*

Non cessabant interim inuictæ eius constantiæ gnari Hæretici (neque enim erat obscura) nouis vsque probris, ac maledictis enervare, si possent, nominatim eius, & Iesuitarum auctoritatem, ac deformare famam. Martinus Kemnitius inter primos ea ætate fallaciarum architectos, primas quoque ferebat in linguæ intemperantia, & impudentissimè affingendis vīro Dei criminibus quæ maximè inuentori ipsi conueniebant. Quæ tamen & vulgò spargebantur, & magnis sepè hominibus persuadebantur. At ea perpetuo ritu suo in beneficij, lucrique numerum imitator Christi reponebat, Deoque grates agebat, qui cohortem hanc suam ab illaudatis huiusmodi vituperari sineret. Nimirum Satanam ferre non posse.

posse tantum lucis in tenebris Germanicis. Time-
re regno suo, ideòque in odium omne conari tra-
here, quos infestos experiretur. Existimabat Præ-
positus Lainius optimam esse rationem maledi-
cta eiusmodi refutandi illustrem rectè factorum
constantiam, quemadmodum fideles olim Apo-
stolorum Princeps alloquebatur: Sic est voluntas
Dei, ut benefaciētes obmutescere faciatis impru-
dentium hominum ignorantiam. Tamen, quia
ad simplicium oculos longè positorum penetra-
re exempla vitæ non poterant, faciendum Cani-
sio putavit, ut Germanico sermone modestam
apologiam, nec appposito nomine suo, (quo-
niam erat commendanda societas) euulgaret:
quod ille sedulo præstitit. Latinam autem sub-
indè defensionem Iacobus Paida natione Lusi-
tanus doctam, ac piam emisit. Canisius in his,
quas diximus, apud Cæsarem curis magnam æta-
tis patrem Oeniponti egit: nec interim parcebat
laboribus aliis, ad concionem non raro dicens, ac
domi (namque Collegium iam adolefcebat) for-
nisque pietatem incendens. Aderant Oeniponti
quinque Cæsaris filiarum virgines (Reginas vocabant)
grandiorum ætatis, quarum duæ postea Florenti-

*Optima ratio
refutandi ca-
lumnias,*

*Canis. Remmi-
us respondet.*

*Additamenta
eius laborum
Oeniponti.*

no ac Ferrariensi Ducibus nuptum data, audiebat confessiones, & animos integros, optimeque paratos ad pietatē instituebat. Earum etiam postulatu magna pompa, apparatuque, ipse met cū Procerum magna corona spectantibus, ereptam Turcis virginem Valacham sacro fonte perfudit in Pentecoste, cum antea aptam tempori, ac cæremoniæ orationem habuisset.

*Sueniam
euangelizans
perlustrat.*

Oeniponto dimissus vix Augustanis se se red-
diderat, cum ad nouam expeditionem excitur. A
Præfecto Sucuiz Georgio Ilungo euocatus mul-
ta perlustrauit ampla, ac peructuſta Monasteria,
velut in arentes agros tempeſtuum circumferēs
imbrem verbi Dei. Nec dubitauit in Ciuitate
quoque Lutherana præſentibus Hæreticis catho-
lica perſonare tuba, haud ſine audientium bono.
Quacumque præterueheretur, conueniebant
vndique doctrinam, conſolationem, & Sacramē-
ta petituri circumcolentes orthodoxi viri, femi-
næque. Accessit & opulenta Matrona, quæ quan-
quam in catholicam nupta erat familiam, à viro-
que, ac focru frequenter compellebatur, nunquā
tamen ab Lutherana peſte, quam cum lacte hau-
ſerat, parentesque ſui ac ceteri eorum neceſſarij
obti-

*Nobilitatem
matronam Catho-
licam reſtituit.*

obtinēbant, abduci potuerat. Hæc repetenti iam Augustam Canisio facta obuiam honesto cum comitatu in curru sedens, rogare institit Patrem, vt ad se non longo diuerticulo vicinam in arcem adiret. Quod ipsum cum ceteri de comitatu instarent, omittendam non existimauit salutaris Venator nobilis prædæ occasionem. Adfuit in Arce Deus mulieri: cognouit errores, & eiecit, edidicit veritatem, & complexa est: peccata totius vitæ (nunquam enim erat confessa) apud Canisium deposuit: denique catholica facta & gaudiū in cælo Angelis peperit: & inibi domesticos summa voluptate compleuit. Qui festum diem, vt celebritate, quæ causæ consentanea esset, agitant, fecit Canisius, vt mūdati per homologesim pectora, sumptaque candida innocentia stola puri, ac nitidi ad diuinas epulas vna omnes accūberent. Illa autem ad Christi caulas redux ouicula nihil suos quanquam præclaros verita patētes, ac necessarios qui malè dolēbant ab communi errore deductam, rectum pietatis callem cum perseverantia magnoque progressu tenuit.

Ceterum in tanta rerum caligine, ac corru-
ptela neutiūquam deserebat suam causam cæleste

*Maleficarum
ex haresi pro-
nentis.*

Numen: sed insolitis quoq; documentis ad viam salutis, ruentes in exitium reuocabat gentes. Prodigij habebatur loco ingens turba maleficarum, quæ super flagitia infanda, & scelera, quæ perpetrabant dira mortalibus importabant damna, quemadmodum ipsæmet comprehensæ in quaestionibus fatebantur. Nimirum ea contemptæ pietatis vltima, & summe horrenda pœna est, eademq; irati implacabiliter Numinis documentum, extrema impietas. Ad Canisium venit ab Herbipolitano Præsule Friderico Cancellarius virgens incoptionem Collegij, quod peroptabat Antistes in ea Vrbe. Is, dum pessimum deplorat Herbipolitanae Ecclesiae statum, narrauit paulò ante inter tumultum militarem extitisse sacrilegum Hæreticum, qui sacrosanctam Hostiam (horrendum dictu) nefariis pedibus proculcare non veritus sit. Nec ab Deo vindicæ ultionem diu moratam. Priusquam impiatos pedet efferret e Templo, brachium Monstro illi ictu sclopeti confixum; deinde cum domum recessisset, ipsum in semet conuertisse bombardulam, miserimeq; perisisset indignum, qui alio conficeretur, quàm se ipso

carni-

*Sacrilegi mili-
tis parua*

carnifice, vt esset Iſcariothæ Iudæ consors in poena, qui fuerat æmulator in scelere.

Duodecimo Kalendas Nouembris Vrsulæ sanctæ consecrato die, initium factum est Dilingani Collegij ipso præſente Canisio, qui & præclara Oratione de sancti Hieronymi laudibus, cui sacra Academia est, exornauit initia. Aderat etiam Hieronymus Natalis Prouinciæ Germaniæ hoc tempore Visitator. Anno in sequenti ipsa in Societatem Academia tota Dilingana translata est. Tradidit, qui fundauerat Cardinalis Otho, Præsul Augustanus: qui in tabulis, quas postea confecit de eare, commotum se plurimum ad id consilij capiendum profitetur diuturna cognitione, consuetudine, & experientia, quam cum Claudio Iasio docto, atque nunquam satis laudato viro habuit; nec non (ita ad verbum loquitur) cum eximie pietatis, ac doctrinæ viro Doctore Petro Canisio, qui in Ciuitate, & diocesi mea Augustana incredibilem fructum in conuertendis Hæreticis, & stabiliendis Catholicis, & aliis nunquam satis admirandis, & probandis operibus continuè, indefesse, & laudabiliter longo tempore peregit. Ceterum Visitator Natalis sub felicibus Canisij auspiciis

Dilingana Academia Societati traditur.

Cardinalis Augustani de Canisio nobile testimonium.

auspiciis, maximeq; manu eius & opera eo iâ videns excreuisse prouincię molē, vt curā vel sui parentis iâ nimiū fatigaret, simul vt Canisio, qui auctor huius cōsiliij fuit, tantoperē in animarū studiis

Diuiditur prouincia in duas.

occupato laborum partem detraheret, ex vna geminam fecit: & alteram, quę Collegia continebat tria, Pragensē in Boëmia, Tyrnauiciensē in Hungaria, Viennensē in Austria, vnde & ipsi Prouincię Austria nomen factum, Nicolao Lanoio demandauit: alteram Germaniæ superioris nomine Ingolstadianum Collegium, & Monachienſe, tum Oenipontanum, ac Dilinganum complexam

Canisius Vriſenhorſium excouit.

Canisio reliquit. Qui rebus Dilingę constitutis Vriſenhorſium excurrit dominorum rogatu (Georgij Fuggeri, & Vriſulę oppidū erat.) Et quoniam longas eo loci moras alię curę non dabant, posteaquam aliquot homiliis communiter oppidanos excouit, rem velut in compēdium missurus per Vriſulam ipsum adduxit Parochum, vt Augustam profectus ad normam se beati Ignatij exerceret: quem Canisius ipse, & Elderenus accuratione ea percoluerunt, tanquam in vno cunctum populum erudirent. Quanquam & alios Vriſula deinceps, ac porro alios ad eandem exerci-

tatio-

stationem Oppidicius sacerdotes misit. Interim
vulgari coeperat Augustæ pestilentia lues.
Tempore usus est Medicus sacer, ut ex formidatis
corporum malis animorum sanaret morbos. De-
dit inter cetera operam, ut ad pestem auertendam
instaurarentur supplicationes publicæ, quæ Hæ-
reticorum impietate obsoleuerant. habitæq; sunt
modestia, ac pietate magna Catholicorum, fre-
merent licet impij, & quidam procaciter deride-
rent. Exhortantibus deinde amicis Canisium, ut
tempestiuo secessu incolumitati suæ caueret, E-
go, inquit, absque sinistro rumore, prauoque ex-
emplo muneri meo deesse, cathedramq; deferere
nullo pacto posse videor, præsertim cum sacri ad-
uentus tempora instent. Sunt qui pro Ciuitatis
frequētia, & morientium numero haud sæuum
admodum putent malum: eoq; sibi non admo-
dum caueant. Atqui, si minus illi contagionem
metuunt, quia leuē opinantur: nos nihil me-
tuimus, quia bonum habemus Dominum, qui
nos conseruat, ac protegit in hac messe minimè
negligēda. Perstitit igitur in statione, & opere; nec
boni Domini clemētia constātem seruū fefellit.

*Instaurat Au-
gusta supplica-
tiones publicas.*

*Constantia po-
puli in tem-
pore.*

Vbi primum noui anni exortus intermissio-
nem

d

nem

1564.
*Diligentes So-
 cios consolatur.*

nem concionis nonnullam attulit, Dilingam ex-
 currit ad constitutionem domesticæ disciplinæ,
 cum in recenti Colonia, & magna magnorum
 laborum varietate non deessent, quos humana
 imbecillitas fatigaret. Habuit per aliquot dies
 diebus singulis prouidus Pater paternas, ac reli-
 giosas cohortationes: adhibuit, & sermones pri-
 uatos: erexit afflictos: incitauit bene currentes, to-
 tum deniq; Collegium rectè composuit magno
 cum animi sui, tum sociorum gaudio, commu-
 nique gratulatione. Eodem postea modo excur-
 rens identidem ad Collegia, ac subinde recurrente
 Augustam, & statas ad populum conciones in-
 terferens, Ingolstadij quoque, atq; Monachij res
 inspexit, & ordinauit, omnibus factus omnia: &
 quoad connitendo assequi poterat, duo inter se
 diuersa munera, vagum, & quasi ambulatorium
 Prouincialis Præpositi cum statario, ac fixo ordi-
 narij Ecclesiastæ concilians. Nec vllum ærumno-
 si genus operis è pietatis re offerebatur, ad quod
 Caritas illa interrita, & immensa non protinus
 exardesceret. Versabatur in summo discrimine
 Bauaria Inferior, tumultuantibus populis Calicis
 impetrandi libidine, & ad Concionatorem Or-
 tembur-

*Difficile conciliantur Ordina-
 rii Concionatores, &
 Prouincialis officia.*

temburgensis Comititis confluebant turbulentis
 declamationibus per nomen liberandæ consci-
 entię seditionem cientem. Ei periculo vt succur-
 reret Dux Albertus, aliquot de Societate impi-
 gros, minimeq; timidos sacerdotes poposcit, qui
 fluctuantem prouinciam apostolico ritu, ac spi-
 ritu percursarent. Erat expeditio sanè periculosa
 in inter tumultuantes rusticos; erat plena ærumna-
 rum: eadem tamen fecunda spei, opimam ani-
 marum promittens segetem. Eo Canisius, cui la-
 borum ex æquo, & animarum sitis suam ante o-
 mnes ad id muneris operam detulit, modo Au-
 gustani comitatum darent. Sed Dux ipse, eiusq;
 consiliarij demirati constantiam, & alacritatem,
 profectiōni, & operę obstitere, differentes nequa-
 quam eo tempore deferri Augustam oportere: sed
 veriti, opinor, Reipublicæ tantum column gra-
 uiolem in casum offerre.

*Zelus Canisij,
 & animi ma-
 gnitudo.*

Verum enim verò non fuit procul, ac foris
 quærenda crux militi, præconi; Crucis. Indigna-
 tus acerrimè Satan optatissimum tot annorum
 in clarissima illa Ciuitate pietatis successum; q;
 per satellites suos manifestos sæpe tentarat, nec
 vnquam tenere adhuc potuerat, vt præclaro ali-

*Enuocatur animi
 patiencia, &
 mansuetudo.*

quam cursui rerum earum obtruderet moram, id non leui ex parte fraudulenter effecit, per quos minimè oportebat. Vtebantur ad sacra siue facienda, siue communicāda cum populo Canisius, & socius eius Guilielmus Elderenus templo Canonorum. Cumq; in dies & numero, & dignitate mysteria, & disciplinam ab eis petētium manus aūgeretur, è ludimagistris quendam, itemq; vnum è Parochis duces barbarum memorant extitisse qui verebantur, ne Collegio paulatim inducto, quod serio iam tum agebatur à Fuggeris, de suo ipsis splendore, ac quæstu aliquid deperiret. Sic enim comparatum est vitio ingenij humani, vt priuatæ rationes non rarò ante publicas habeantur. Eo demum excessit res, vt omni prorsus sacramentorum administratione, & apostolicorum Priuilegiorum vsu Patres interdicerentur in æde princeps; deq; amouendo ab suggestu Canisio ageretur, causantibus frequentes eius peregrinationes: quas inter, plebes magno incommodo diuini verbi pane fraudaretur. Scilicet permittebat hæc Deus, vt per trita Sanctorum vestigia duceret seruum suum, probaretq; per omnia, ac notio rem, clario remq; faceret inuictam eius animi

mi patientiam, & inexpugnabilem caritatem. Nulla vnquam minus honorifica in aduersarios circumspecto illo ex ore vox excidit: nullum ex vultu, siue aliunde commotionis documentum, ac stomachi emanauit: nihil deniq; aliud, nisi dolebat Satanæ per eas fraudes haud sanè exigua lucra. Quippe cum continuo summa Patres verecundia ab sacris impertiendis destitissent, ingens lætitia creata Hæreticis est; grauisq; adeò inter Catholicos coorta offensio, vt audirentur passim acerbæ expostulātium, & incusantium voces: quique modestissime loquebantur, ij quererentur, autores illius procellæ homines, munere suo nec perfungi ipsos velle, nec alios pati perfungi. Suscepit acerrimè causam Antistes, nec modo per se, suosque, consensionis viam omni ope tentauit, sed etiam à Pontifice Maximo literas Pio IV. ad Canonicos impetrauit: quæ fuerunt tales.

Dilectis filiis Decano, & capitulo
Ecclesiæ Augustanæ.

Dilecti filij salutem, &c. Ad nos, & hæc sanctam Littera Pontificis ad Canonicos Augustanos.
sedem per hosce annos peruenit bonus admodum,

Et gratias odor fructuum, quos ex dilecti filij Petri
 Canisij, Et aliorum Societatis Iesu professorum o-
 pera Augustana Civitas uberis, Domino cooperan-
 te, percepit. Auditum enim fuit, quam multi He-
 retici ad Ecclesiam Catholicam eorum doctrina,
 hortationibusq, reducti sint: quantumque Et adiu-
 menti, Et solatij Catholicis civibus afferre consue-
 verit fidelis eorum opera, ac diligens ministerium.
 Ea nos, sicut leti audire antea consuevimus, ita nō
 sine dolore nuper audiimus humani generis hostē
 tam pia, Et salutaria opera impedire cepisse. Eius
 enim instinctu, Et improbis malefactorum quorun-
 dam sermonibus factum esse, ut animi vestri ab ea
 Societate alienarentur. Quod eo gravior ferēdum
 est, quia ea res non solum inchoato Dei operi impe-
 dimentum allatura est, sed paritura etiam dissi-
 dium, Et scandalum inter vos, Et laicos Catholi-
 cos, atque Hæreticorum animos auctura. Quibus
 offensionibus, Et scandalis nos pro pastoralis officio
 obuiam ire volentes, deuotionem vestramhorta-
 mur, ut ipsum Canisium, Et alios ex ea Societate
 pristina caritate, Et beneuolentia complectamini,
 eosq, diligenter tueamini, Et quo quam plurimum
 proficere possint, tum verbo Dei dicendo, tum mi-
 nistran-

Commendat
 en Societatem
 ac nominatim
 Canisium.

nistrandis sacramentis, non iis modò ministeriis, quæ illis ab Apostolica sede permissa sunt fungi eos liberè pati amini, sed etiam favore eos, & studio vestro iunetis: eaque in re Venerabilis fratris nostri Cardinalis Augustani Antistitis vestri voluntati obsequamini: apud quem, si quid aduersus eos proponere volueritis, querelam vestram tanquam apud Ordinarium vestrum deferre debetis. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die ultimo Septembris, 1564. Pontificatus nostri anno quinto.

Tandem ita confecta res est, vt Canonici feripto conciperent, quas ad concordiam conditiones amarent. Postulauere, vt ab sacrorum administratione posthæc Patres in primario ipsorum templo abstinerent: in alio autem quouis ea pro voluntate Episcopi præberent. Canisius cathedram obtineret, sed ita vt cum ipsis, tum societati integrum esset, cum quid alterutra pars mutatum vellet. Quandiu autem id muneris obtineret Canisius, ne quo iniussu ipsorum, nec nisi substituto idoneo vicario, proficisci fas esset. De cetero sincera porro, & fraterna caritas vtrunque salua cōstaret, positis priuatis studiis: & ante omnia

Concordia reu-
integratur.

1564.

cauc-

cauerent Patres, ne quid aduersus Canonicos dicto, factouè priuatim, publicèue committerent. Studiosissimus pacis Canisius valdè controuerſarum sine lætatus est, ac spem etiam ingressus fore, vt Deus, qui ex tentatione prouentum facit, hac ratione sensim viā inueniendo templo aperiret, in quo solemnia sibi munia liberior societas, Ciuitatiq; vtilior exerceret. Itaq; non modò conditionum nullam reiecit, sed etiam demonstrauit nihil societatem suscipere libentiùs, quā quæ pacis, & concordiaẽ essent: ac proinde gratias ingentes agere, quod in pristino caritatis loco habere ipsos benigneque complecti velint. Se verò ea modestia vsuros, ea que verecundia, quæ ipsorum venerabili Collegio iure deberetur. Vellent & ipsi minimæ huius familiae homines quocunque degerent, quocunque diuina facerent loco, commendatos habere. Hæc literis comprehensa quo firmiùs sancirentur, Cardinalis publicè in vtriusque partis conspectu recitari, suoque communi signo voluit. Sed ex templo nouæ molestia ex veterum sine cooriuntur. Dum alia quaeritur sacra ædes, in qua Patres suis muneribus fungerentur, proximi quique sacrorum hominum

Satana

Satana instigante, tūm prægressis motibus excitati eorum vicinitatem refugiebant. Itaque aliquandru ædis sanctæ Catharinæ copia facta: cum ne ibi quidem liceret quietis esse, optimus Cardinalis facellum suum in eos vsus ornauit, ac tradidit.

*Professio fidei
in Academicis
Canisij studio
inducitur.*

Inter hæc ad commune bonum Germaniæ duo Canisius Romæ curauit haud leuis momentis; primum, vt quoniam in Academiis Italiæ Germanorum multi religione corrupta Doctorum insignibus ornabantur, & armis instruebantur, unde grauius postea in Ecclesiam sanctā gererent bellum, caueretur Pontificio diplomate, ne quos ad id genus honores extra quam quorum de religione incorrupta constaret, prouehi ius esset. Deinde, vt quoniam pro Academicarum corruptela non pauci bonorum, & orthodoxorum adolescentium inter sapientiæ studia variis modis & ingenia deprauabant, & mores, emendandæ, constituendæque in Academiis disciplinæ ratio aliqua iniretur. Id posterius haud perindè impetrabile fuit. Ad prius amoliendum incommodum Diploma Pontifex edidit, quo qui Doctorum titulis cononcstandi forent, eos ex concepta for-

c

mula

Excurrit Herbipolim.

Simium sibi offer.

Modestia non.

mula iussit religionem catholicam profiteri. Ita Canisius & præsentibus, & longè positis, nec suo tantùm ævo, sed & posteris consulebat. Per Autumnum Herbipolim quoque excurrit accersitu Episcopi ad Collegium festinantis. Perque eam occasionem ad populum pro concione, quo solebat publicæ utilitatis euentu, egit. Quocunq; enim ferretur, non secus ac sacra illa navis institutoris perferebat esurientibus populis, & gratuito dividebat panem vitæ: aded quidem se se, humanamque oblitus infirmitatem, vt monendus à Lainio fuerit, videret vt rationabile obsequium suum faceret, afflictoq; corpori ita moderaretur, vt sacrificium sale condiret. Cui vir germano candore, & antiqua simplicitate, non vt quidam superba modestia magnitudinem infitians, aut eleuans ærumnarum, sed accusationem ampliatis, clausula illa respondit. De moderandis meis laboribus paternā admonitionem non possum non reuerenter amplecti. Vtinam ego discretionem virtutum Matrē in re vlla tenere possem, qui neque mihi, neque aliis satisfacio sepe. Sed spero tamē meliora intercedentibus pro me sanctis Patrum precibus apud diuinam Maiestatem.

Prim-

Principio anni quinti & sexagesimi Iacobus ipse Lainius secundus Societatis nostræ generalis Præpositus mortalitatis cursum absoluit Romæ: Ea causa in urbem cum vocaretur à Patribus de more Canisius, ad nouum creandum Generalem, Cardinalis Augustanus id simul cognouit, non modò coram, sed & libello explicatis, traditisque rationibus etiam, atque etiam institit, ut profectionem eam excusaret, quod sine graui religionis detrimento Germaniam deferere eo rerum articulo nequaquam posset. Decefferat paulò antè Ferdinandus Cæsar, successeratque in Imperio Maximilianus: qui tametsi præclara dederat documenta pietatis, & in religionis catholicæ conseruationem solennibus verbis iurauerat, tamen excessu Ferdinandi ingens damnum factum sapientes opinabantur: & Augustæ Imperij concilium admodum periculosum imminere. Eam ob rem tanto Cardinalis opere ut Canisium teneret adnitebatur. Sed nescius ille vitam vitæ nisi obedientiam, sequi normam, ad rationes eas, atque obtestationes omnes, uno hoc verbo respondit, quod Deus per Præsides meos decretum suum faciam. Tum Cardinalis ad Franciscum Borgiam

Obedientia

Littera Cardinalis Augustani ad Franciscum Borgiam

focic-

societatis generalem Vicarium literas hasce dedit de Canisio.

Pater Canisius significavit mihi in urbem sese vocari ad novi Praepositi creationē, quod quāquam prudenter factum equum est interpretari, visum tamen est mihi Paternitati tuae exponere, quis apud nos rerum sit status. Catholici Principes paucos apud se Theologos habent, qui cum integra doctrina spiritum rectum, ac fervens studium religionis coniunctum habeant: ita ut cum graves incidunt casus idonei, ac parati sint ad ipsos Principes confirmandos, & quae ex usu, & dignitate Ecclesiae sanctae sint, libere eis suggerenda: quod quidem egregie à Patre Canisio praestari notum est satis. Eiusdem cum in me et ipso expertus sum, tum in aliis multis Proceribus plane comperi quanto ardore, quanta & caritate, & Christiana sapientia negotiatus semper sit sua talenta, praesertim in Comitibus, & conventiibus Imperij. Quod si quando eius opera opportuna fuit, ut semper fuit, facile est intelligere in conventu, qui proxime est habendus maxime & opportunam, & necessariam fore. Quippe non Protestantes modo, sed etiam Catholicorum quidam comparant se se, cumq; ipsis Protestantibus

Quam necessaria
Germania
Canisij praesentia.

bus conspirare videntur, ut in eo conventu agant, efficiantq, ut multa religionis capita, atq, Ecclesie precepta, quae ipsi voluntarii iuris putant esse, post hac pro cuiusq, voluntate, & arbitrio, sicut afflatus sibi quisq, videbitur, obseruentur. Ergo quoniam in rebus huiusmodi decernendis tractanda erunt res summi momenti, sic habeto Pater, Canisium in existimatione ea apud Germaniae Principes esse, ut si praesens adsit, monitis suis, acribusq, cohortationibus, tum doctrina, ac sapientia sua, ad hac eloquentia, & concionibus, deniq, sincera sanctitatis exemplis immensum, longeq, amplius, quam cogitari queat, promoturus sit, maximè apud Moguntinum, ac Treuirenses Electores, & apud Herbipolitanum Episcopum, ac Principes alios, qui plusquam facile creditu sit, Canisio tribuunt.

Hæc Romæ Vicarius Borgia cum accepisset, & deliberationem ad Patres reiecisset Germanos, nihil opus deliberatione fuit, dilato proximū in annū Imperij conuētu. Itaq; Canisius, ubi quadragenarium dicendi pensum Augustæ persoluit, in Italiam venit: tum quoque Othone Cardinali literis, psequente suppliciterq; pugnante, ut primo quoque tempore redderetur Germaniæ, quod in

*Romam Venis
ad creandum
Generalem.*

detrimentum religionis inæstimabile absentia eius viri per eas oras cederet. Verebatur videlicet, nequam partem administrandæ societatis, unde Romæ teneretur, Patres ad eum deferrent. Quo ipsos crediderim Patres respectu motos vt ingratissimis demandandis muneribus præsertim Assistentium, eum præterirent. Quanquam nec aliarum Prouinciarum Patres, ac nominatim Lusitani defuere, qui sibi Prouincialem eum expeterent. Creato Præposito Generali Francisco Borgia, Pontifex Pius quartus arduam Canisio peregrinationem iniunxit: vt Tridentinum Concilium, quod iam coeptum erat promulgari, ad Ecclesias Germaniæ deferret, & Dynastas Catholicos, additis propriis mandatis rerum, quas apud quosq; ageret. Adiecit & Borgia titulum, ac potestatem Visitatoris in Societatis Prouincias tres Rhenanam, Austriacam, & Germaniæ superioris, cuius ille potestatis pro sua modestia nusquam vllam attigit partem: nisi si quid vsquam consilij instar subiiciendum fuit.

Igitur vbi primum licuit, ab Vrbe cum vno duntaxat viæ comite profectus, die Nouembris 21. Coloniam attigit. Sed quoniam à Pontifice ad Se-

*Mittitur à Pio
IV. ad Ecclesi-
as Germaniæ.*

ad Senatū Colonienſem expectabat literas, nulla
re Coloniae acta, dum eae literae perferrentur, No-
uiomagum in Patriam ſuam excurrit. Iniquum
enim erat, qui apoſtolicam ſalutationem ad alias
circa perferebat Ciuitates, vt praeſeritam faceret
ſuam: nec conueniens erat, vt quo fructu alienae
tot Prouincia alebantur, cum parens, altrixq; ter-
ra non deguſtaret. Conſpexere Ciueſ ex tanto in-
teruallo alumnum ſuum adeo virtute auctum,
ſamaque nobilitatum, qua gratulatione par erat.
Senatus ipſe quanquam non viſquequa; Catho-
licus honorifica ſalutatione, & honorariis donis,
quibus magnas perſonas ſolet, excepit. Haſit ille
ferme dies octo Nouiomagi. Quo tempore & ſa-
tina oratione diſcentes in gymnaſio, cum Canō-
nici, ludique Magiſtri omnes, ciueſq; frequentes,
qui latine callebant, auditum confluxiſſent, do-
ctē, grauiterque ad verae ſapientiae laudes inflam-
mauit, & in ſummo templo ad multitudinē ver-
nacula lingua ſemel, atque iterum perorauit, Ci-
uium tanta frequentia, vt eo minus ſit omnibus
factum ſatis, quod omnium ad aures aduchere
pias merces vox interuallo fatigata non poſſet.
Deſcendentem autem e ſuggeſto ita obſeruabat
multi-

*Nouiomagus
reuiſit.*

*Quam multa
breui, quanto
exemplo ob-
geſta.*



multitudo, intentisque oculis prosequeretur abeuntem, vt fieri assolet in raris spectaculis. Senatum quoq; remuneratus est de sua copia Catholicus Doct̃or, libera modestia, studioq; peraman-
ti adhortatus ad Catholici cultus integritatem: sed præcipue ad minimos Christi cohortandos, pascendosque cum animi, tum corporis cibo curam vertit. Certantibus enim propinquis, & affi-
nibus numero magno, quis suas ad epulas vene-
randum hospitem primus deduceret, inuitatio-
nem omnium sic ipse accepit, vt iuberet singulos in Xenodochium quæ quisq; pararet deferre: eo-
demq; loco simul omnes elutis confessione ani-
mis ad diuinam mensam accumberent, tum sua etiam Christiana caritate corporibus leuamenta in communi præberent. Quod probatum cum
esset, ipse eodem loco verbi diuini dapes pauperi-
bus præbuit, tum omnia quæ affines, cognatique pro se quisq; abundè contulerant, cum modice ipsi gustassent, dierum multorum subsidia, & hi-
laritatem reliquit: nihiloq; min⁹ inuentum hoc caritatis Ciuitatem exemplo, quam in opem tur-
bam lucello commouit. Porro quod ab id genus officiis otium fuit, id omne expiandis confesso-
ne ani-

ne animis, componendis inter ciues grauibus dis-
fidiis, priuatim cohortandis ad fidem, singulari
cum pietatis prouentu consumptum est. Inde re-
uertenti Coloniam, ex itinere etiam concionan-
dum fuit. Sæpe enim vix equo descenderat, cum
suggestum in scendere cogebatur, nec ante cor-
pusculo suo terræ panem inueniebat, quam pa-
nem cæli hospitem populorum animis ipse fre-
gisset. Ad Guilielmum Iuliacensem P̄ncipem
postridie quam Coloniam venerat, ire perrexit:
nihil deterritus, cum quidem ingrueret bruma,
siue locorum iniuriis, siue inclementia temporū.

Aberat Princeps: quare ad Episcopum Osnabur-
gensis Pater diuertit. Apud eū summis precibus
binas hebdomadas, eoq; amplius coactus est mo-
ram facere cupientem de religione multa con-
ferre. Productus est illico in sacra rostra: Domi-
nique natalitias ferias quotidiana dictione Osnabur-
gensis populo sanctiores, lætioresq; fecit. Col-
legium Societatis optabat Episcopus. Sed cum
præcipua quæque per Lutheranos gererentur,
planeque perturbata iaceret religio, haud suppe-
tebat facultas, vnde pia vota producerentur ad
exitum.

*Osnaburgum
adu.*

f

Agebat

1566.

*Et Ducem in-
hucensem,*

Agebat iam nouo allapso anno apud Ducem
Guilielmum, cum nuntius perfertur, ex huma-
nis Pontificem excessisse. Nihilò secius quæ ab
illo habebat mandata Duci exposuit, plurimum
hortans ad veri explendum, germanique catho-
lici officium, ac nominatim in amplis illis, ac præ-
claris ditionis suæ Prouinciis, ne Sectariorum cor-
ruptelis locum daret. Promisit Augustam se se
venturum ad comitia, causamque religionis,
quoad verbo Dei foret consentaneum, pro virili
gesturum: quod Canisio verbum haudquaquam
in plenum arrisit. Reuersus inde Coloniam cum
Senatu, atque gymnasio multis de rebus egit tan-
to cum successu, vt magnificè, & omni læude, &
ope omni dignam Ciuitatem eam prædicet, quæ
diu licet prope orba Archiepiscopo, & vndique
circumfessa, & oppugnata ab Hæreticis, nec val-
dè purgato munita Clero, perstaret tamē immo-
bilis, suoque retineret iure nobilem titulum, vt
Felix Colonia sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelis fi-
lia, & diceretur, & esset. Ergò cum explicasset
Pater Studium, & amorem aduersus eos Pontifi-
cis Maximi, quamuis iam decessisset, se se respon-
derunt Romanis Pontificibus summam debere
venc-

*colonia multa
pro pietate ge-
rit.*

venerationem, & obedientiam, eamq; in omne posterum tempus summa voluntate declaraturos. Deinde haud grauatim receperunt facturos se se, quæ Pater postulauit ad suum aduersus religionem studium magis, magisque declarandû. Nec prolixî, ac liberales fuere magis verbo, quàm re. Vti ille rogauerat, decretum est in Senatu, vt pestilens quidam Pædagogus, qui complures opulentos, ac nobiles adolescentes priuatim instituebat, protinûs deiceretur ex eo periculosissimo munere. Vt libri, qui catholicâ integritatem vitarent, interdicerentur. Vt nullus omninò concionatoribus locus, nullus daretur Magistris, quorum religio suspecta esset. Academici oblatum sibi Pontificio signo communium Concilii Tridentini exemplar magna cum reuerentia exceptere: simulque spondere ad illius præscriptum, ac normam, vbi præsertim de Academiis generalibus agitur, cuncta composituros. Ad hæc Theologorum iuxta, ac Philosophorum collegia ex recenti Pontificis lege sanxerunt, ne literarij gradus, & honores cum quoquam, nisi prius religionem ex Romana regula professus esset, communicari liceret. Hæc maximè delectarunt.

Canisium caritatis erga se, & obseruantia documenta. At illi ne humana quidem omiserunt argumenta, ac pignora, quibus honorare solent magnos hospites solennibus missitandis donis. Abiit deinde Treuiros, ac Moguntia, rerumq; gestarum summam ad Præpositum Generalem perscripsit his verbis.

Nuntiat P. Generali suam peregrinationē.

Dominus Iesus ubiq; nobiscum per sacrificia, & preces R. P. tue, & Patrum omnium, quibus in primis cupio commendatus esse. Gratias autem ago Deo, qui vires hætenus dedit ad hanc peregrinationem quatuor hybernis mensibus conficiendā. Sentio interim aliquot ab hinc diebus debilitatas esse mihi vires, & solitum abesse vigorem. Fiat in nobis Domini voluntas, qui nos obedientia sanctæ filios in vita, & morte esse concedat. Spero deniq; nō difficile fore R. Paternitati tue, ut rationē reddat sciscitantibus de munere meæ susceptæ legationis. Conciliaui Apostolica sedi animos Prælatorū, præsertim duorum Archiepiscoporum Moguntini, & Treuirensis: nec non Episcoporum Herbipolensis, & Osnaburgensis. Cum aliis quibūsdam egi per litteras ob varias causas. Commendaui præterea illis publicationem, & executionem Concilij Tridentini.

ni. Proposui consilia, quæ ad Catholicam religionem conseruandam, & promouendam non parum habent momenti in hoc rerum Germanicarum statu. Illi vero non modò humaniter, sed etiam reuerenter exceperunt omnia. In hac peregrinatione sum sæpe latine concionatus, ac sæpius etiam germanice. Hyemis, & viarum incommoda nobis non defuerunt, sed à grauioribus periculis liberauit nos Deus, & amicos subinde fauentes dedit, ut etiam Sectarij nos nõ grauatim audirent, cum rationem fidei Catholica redderemus. Peto interim veniã à summa bonitate, & Paternitate tua, quod bene gerenda rei occasione non diligentè quaesierim, & presentem non felicius obseruauerim, neq; vel mihi, vel aliis, ut par erat, inseruierim, cum in hoc peregrinandi genere sim hætenus nihil versatus: quam ob rem libenter amplectar quamcumq; mihi pœnitentiam adiunget Reuerenda P. tua, quæ diuinam misericordiam mihi magis ac magis conciliare dignetur. Moguntia 28. Ianuarii.

Modestia Caniç.

In hoc excursu illud præter cetera obseruauit & scripsit in Urbem, ex vsu religionis fore, ut Episcopis, qui vicinos haberent, magisq; infestos Hæreticos, darentur etiam num viuis Coadiuto-

Hæretici Episcopatum inuadunt: quæde religionis existit.

res, ne post excessum illorum ob periculosa studia in comitiis, quæ ipsimet facile perturbant, & corrumpunt Hæretici; in eorum denique, qui se, suosq; per vim, ac fraudem intrudunt, miserrimæ Ecclesiæ potestatem ac tyrannidem venirent. Sic Episcopatus quinque in Marchionatu Brandeburgensi, sic in Saxonia tres amissos. Idcirco agendum cum Cæsare, aliisque Catholicis Ordinibus, ut strenue coerceretur inextinguibilis Hæreticorum rapacitas, qua Episcopatibus inhiant, qua nulla sit capitalior Germaniæ pestis. Atque has, aliasq; graues ob causas providendum Pontifici, ut ad Comitia Augustana Legatum magni pectoris destinaret. Magni fecit hæc monita, qui Pio Quarto successerat in Apostolica sede, Pius Quintus; & in ea Comitia Legatum destinavit Io. Franciscum Comendonium, cui & nobile Theologorum par de Societate Hieronymum Natalem, & Iacobum Ledesmanum adiunxit: qui coniunctis cum Canisio studiis excubarent, dimicarentq; pro Catholicis sacris. Id quoque idem Canisius haud dubio divinitatis instinctu, ut exitu compertum est, postularat: Habebat sanctissimus Pater in animo peregrinationem illam à demortuo Pōtifice de-

man-

Religione. Ca-
monij de Comi-
tiis Augustanis
non oportet.
94.

mandatam confirmare Canisio; sed & ipsemet
fatebatur in eo munere nihil se præter obedi- *Etiam submis-*
tiam reperire, quod in suam quidem personam *- se, ac modestia.*
quadraret; ac verebatur ne sermonum causam
undequeq; captans curiosorum hominum gar-
rulus, conflandæ inde Societati inuidiæ, tanquã
in publicarum se rerum administrationem im-
mittenti, occasionem arriperet. Ob eam cautio-
nem, nec eo minus, quod aptiora sibi rebatur hu-
miliora munera, rogauit Patres Romanos, quod
tamen salua vsquequa; obedientia fieret, effice-
rent apud Pontificem, quod effecere, vt ab ea pro-
curatione liberaretur.

Instabant iam Comitia, & magno studio re- *Augusta p'u-*
vocabatur Canisius Augustam. Quo cum aduo- *rimus, &*
lasset, veteri instituto in templo principe Ieiunij *maximo frustra*
magni tractu conciones ad populum habuit tot *laborat.*
alias inter occupationes, vt prope miraculo esset,
quemadmodum hominis vnus infirmitas tam
multos, tamque graues caperet, aut sustineret cu-
ras. Idem Imperatricis rogatu semel quoque per
hebdomadã verba faciebat ad germanas ex eius
Aula Marronas, ac Virgines. Idem Pontificio Le-
gato Commendone aderat frequens, à quo & ad
animi

animi sui expiationem adhibebatur. Aderat Cardinali Othoni, Præsulibus Moguntino, ac Treuerensi, atq; aliis ferme omnibus, qui iam conuenerant Magistratib; sacris. Sed sanctiore hebdomada increbuit æstus laborum, cum Pontificium Iobolæum ad Comitiorum felicem exitum sapientia, viq; sua sic promulgauit, vt & quamplurimos ad participandum impulerit: & Feria quinta, ac sexta de Christi Domini acerbissimis cruciatibus ter instaurata concione ferme octo horas impleuit cum inter concionem alioqui frequentissimā, Hæreticorum nobilium caterua magna cupidè audiret. Deniq; cum Hieronymus quoq; Natalis, & Iacobus Ledesma, præterque eos, sacerdotes alij duo de Societate ad legendam messis vbertatē religiosissimo illo tempore accersiti strenue collaborarent; non Germanis modò, sed & Italici, Hispanique certatim se offerentibus operanaueretur; ita celebratum est Pascha, vt præclarū de se exemplum Catholici aduersariis quoq; præbuerint.

Peruicacia Hæretici Catholici contant.

Interim Comitia ex bono satis exordio haud felicitate pari progressa, ingentem piis formidinem, & curam iniecere. Coniunctis opibus Protestant-

testantes, & tanquam communi quodam furore perciti contendebant, vt Ecclesiasticis, quicunq; Lutherani fieri vellent, vectigalibus Catholicæ Ecclesiæ, quæ ante possidebant, frui ius esset. Id nimirum consentaneum putabant, vt Ecclesiæ, quā prodidissent, spolia legerent, & præmio stimularetur impietas. Erāt, qui liberam inter Principes institui collationem de toto religionis negotio peroptarent, freti, si res ab iis, quos minimè fas esset ageretur, item nihil ex æquo, bonoque actum iri: & vnde plus stare audaciæ, ac violentiæ, inde victoriam fore. Ad Concilium ex vna tantum gente, ac natione germanica multorum animi propendebant, vt de communibus toti Christiano orbi dogmatibus illa nimirum decerneret natio, quæ controuersiam mouerat. Alij deniq; subdolan, insidiosamque de concilianda vtraq; & Catholicorum, ac Lutheranorum parte tractationem volebant suscipi: tanquam conuētio luci cum tenebris, Christoque cum Luthero possit esse consensio. Hæc quanquam indignissima machinis omnibus multi moliebantur: ex altera parte Legatus Apostolicus summa ope tendebat, vt Concilium Tridentinum saltem ortho-

doxi recipere. Quibus in curis tum vt adueffariis obsisterent, tum vt Concilij causam prouerent, erat Patribus immensum negotium; vt ex Canisij epistola planum facit clausula talis. Nūc, inquit, in his plurimum scribimus, consulamus, currimus, laboramus: nihilq; nobis otij superest ad reliqua. Iam tandem & Cæsaris, & Commendonianæ constantia, Præsulūq; recte sentientium consensu religionis reiecta, intactaq; causa conuenerāt omnes Ordines, vt in Turcicum bellum (quam ob rem institutus maxime conuentus erat) subsidia pecuniæ conferrentur: agebaturque de pace inter partem vtramq; veteris religionis, & nouæ, id est, vanissimæ superstitionis, confirmanda, quæ anno 1555. Caroli Cæsaris voluntate sub Ferdinando Rege itidem Augustæ conuenerat. Cui formulæ, quanquam conditiones intolerandas Hæretici vellent adiungi, tamen obfirmauerant animos Catholici, confidebantq; expugnatos, vt ne apex quidem adderetur, vel demeretur: cum ecce tibi à Pontifice ad Commendonum literæ, vt si quid, quod cum Concilij Tridentini pugnet decretis decernendum viderit, ac prohibere nequeat, ritè contestatus in id Pontificem neuti-

*Periculū grane
dissidij in Co-
muni Augu-
stani.*

neutiquam conuenire, vetitisq; Catholicis subsidia in bellum conferre, ex Comitibus auferat se se. Hæ literæ incommodissimo allatæ tempore impleuerunt omnes solitudine, ac metu. Non enim deerant, qui confirmationem pacis anno illo 1555. initæ, quam pro cōditione optabili amplexabantur modo Catholici, aduersus Tridentina decreta esse contenderent: ac proinde fortiter agendum Legato, obluētādumque, ne quid ratū fieret vnde hostibus Apostolicæ Ecclesiæ, perturbatoribus antiquarum religionum, pacata concederetur nō modò contumacia aduersus communem fidelium Matrem, sed & errorum pernicialium profeminatio. Quod si tenere non posset, tum ille constanter exposita Christi Vicarij denuntiataque sententia, ex conuentu facesseret. Imminebat haud dubiè grande dissidium eò si ventum esset. Nam summa erat rei pecuniariæ difficultas Imperatori: summus ferebatur esse in Hungariam, ac porro in Germaniam ducentium Turcarum apparatus, vt qui tali tempore subsidia ei detraheret, prodere barbaris & ipsum Maximilianum & Imperium videretur. Hoc rerum in Cardine Patres, post multas & habitas per se se, &

*Canisius in
Africa & Socio-
rum rebus.*

postulatas ab sociis preces ad Deum, collato præ-
senti tempore cum eo, quo primum pax, de qua
agebatur, conuenta erat, quod sine controuersia
constabat longè esse deterius, circumspectisque
imminentibus periculis, & quæcunq; in causa es-
sent, accurate perpensis, negotium suscipiunt de-
monstrandi, si pax ea, quæ adeò necessaria sit, rata
habeatur, & confirmetur, nihil committi, quod
cum Tridentini Concilij pugnet decretis. Quod
cum perstudiose, perq; docte fecissent, & persua-
sissent Legato, atq; ex eorū sententiā rē ille admi-
nistrasset cum pace demum conuentus peractus
est. Lucubrationes eas in urbem missas sapientes
probarunt: nec improbare Pontifex visus est. Por-
ro quanquam minime id agebatur, sed publica
duntaxat causa, tamen additamentum hoc ad
commune bonum fecit proprie Deus Societati,
vt Cæsar de ea longe clementiorem opinionem
indueret. Persuasum enim habebat dura, ac seue-
ra consilia ab ea proficisci: dictitabatque Iesuitas
sane viros esse bonos, ac doctos, parum tamen in-
telligere quid præsentia tempora in terris Germa-
niæ postularent. Quod cum Apostolico Nuntio
prompssisset, is contra edocuit, demonstrauique
auto-

autores ipsos fuisse eius sententiæ, quæ conuen-
tui exitum pacatum dedisset. Vnde Cæsar & toti
Societati conciliatus est, & haud modicè recon-
ciliatus Canisio: quem aduersarium sibi nomi-
natim fingebat. Nec equidem ambigam Canisij
potissimum, pro autoritate, qua apud maximos
quosq; Antistitum sacrorum pollebat, studio, &
labore perfectum, vt de Tridentino quoq; Con-
cilio, quod satis visum est in præsentia, in Catho-
licorum confessu probaretur, atque reciperetur.
Præterea cum probrosum commentarium, val-
deq; perniciosum Hæretici proposuissent Catho-
licis, graui id, solidaq; disputatione de ceterorum
Patrum sententia refutauit Canisius.

*Et Concilium
Tridentinum
à Catholicis
recipitur.*

Iniunxerat Natali Præpositus Generalis Borgia,
vt septentrionales Prouincias expeditus Augusta-
no conuentu, inspectaret. Ad eam rem cum pri-
mum licuit digressus, Canisium circumduxit,
qui tanquam discipulus Magistrum obsequio
summo, & obseruantia sequebatur. Quanquam
se omninò perfunctum administratione Prouin-
ciæ suæ sperabat, cum iam diu, ex quo tempore
Romam ad Comitia creandi Generalis adierat,
ac deinceps per Augustani conuentus tractum

*Modestia Ca-
visij.*

*Et Audium
profecum.*

ita reliquisset eam Theodorico fratri suo Vicario, tanquam nunquam postea repetiturus: nec destitit modis omnibus deprecari, atque amoliri tantum onus, ubi cognouit Natalis consilium esse, ut id rursus assumeret; annorum tot usu compertum sibi testificans supra imbecillitatem suam esse. Vbi verò Natalis, autore Borgia, perstitit in sententia, & in suo Canisius perpetuò obsequendi instituto permansit. Prouinciam ita suscepit, tanquam nunc primum id genus Præfecturæ attingeret: ita cunctas ad eam collegit curas, ita aliorum preces ad Deum sedulus implorauit, ac Præpositum Generalem rogare, perq; caritatem Christi immensam, & quam vehementissimè posset, obsecrare institit, ut opitulari sibi vellet ad bibendum calicem illum, & ad explendum graue, ac suis humeris impar ministerium; ei se *velut* nouū, rudem, & planè indignū Prouincialem vna cum Prouincia tota committens, nouam, & efficacem æterni Dei ad nouum illum statum benedictionem per ipsum exoptans. Quia tamen amplificabatur in dies Prouincia, pariterque cum ea crescebant Præsidis curæ, existimauit Natalis Augustanæ Concionis munus in alium transferendum,

dum. Eam commoditatem ex coortis quas supra *Liberatur con-*
memorauimus, turbis mira Dei sapientia elicuit, *cione Augu-*
vt, quod sine graui certamine obtineri alioqui *stana.*
non potuisset, non magno negotio Canonici da-
rent Canisioque perpetuum tradi successorem si-
nerent. Is fuit Gregorius Rosephius, qui plus an-
nos deinceps triginta singulari cum assensu Ci-
uitatis, parique profectu eam cathedram tenuit.
Ceterum reliquit Canisius rerum Augustæ faciē,
planè alteram ab illa, quam ipse primum inuene-
rat. Catholicorum numerum capitibus auctum
multis, atque prestantibus: publicas supplicatio-
nes restitutas: redditam Pontificiis indulgentiis
autoritatem: instaurata exornataque templa: Sa-
cramentorum frequentem vsum: subleuatam
inopiam, virginitatem excitatam, sacra cœnobria
exulta. Multos sexus vtriusque ad insignem vi-
tæ probitatem incensos, & institutos. Ad hæc
gregis Catholici, qui pusillus, ac despectus iace-
bat, cretos animos, corroboratamque fiduciam:
contraque vehementer ferociam Hæreticorum,
& perulantiam fractam, ac mitigatam.

Per autem ipsum, cum Hieronymus Natalis *Peruenit Sæ-*
ad videntia Austriam domicilia processisset, Canis- *nam.*
us in

*Vldaticum ab
Helfenstein ad
conversionem
parat.*

us in Sueuiam excurrit. Vldaticus Comes ab Helfenstein acciuerat, qui longo iam tempore sectatus Lutherum, multasque demum, illucescente Deo, Ministrorum pestilentis eius doctrinæ fraudes affecutus, quid solidi esset in religione prisca, atque Romana explorare interiùs; & liquidius auebat cognoscere. Diligenter Canisius ea institutione suscepta, quam firma, quam coherencia, quam perpetua serie ab Apostolicis deducta temporibus ad hæc tempora essent dogmata Apostolica sedis, quam cum Oecumenicis Conciliis, cū sanctorum Patrum sententiis, cum totius Christiani orbis consensu conuenientia, & alia id genus: quamque in Hæreticorum sectis contraria essent omnia sub aspectum posuit. Deditque bonæ sementi incrementum eiusmodi sator bonorum omnium, atque perfectior Deus, vt lætissima inde fruges ingenti Catholicorum gaudio, & aduersariorum dolore in sequenti anno maturuerit: se seque palam Vldaticus orthodoxæ Ecclesiæ reddiderit, impense cura suscepta, vt & populares suos, quos fraudulentis sex antè Ministri in partem tenebrarum Principis rapiebant, in partem sortis sanctorum, & ad lucem diuinam secū redu-

seduceret. Neque id vñum ex excursionē ea Ca-
 tholicus concionator (hoc enim iam vulgus Ca-
 nisio fecerat nomen) mox fruendum pretium re-
 tulit; sed lūtrum etiam præsens. Tenebantur in conversis ma-
lificis duos.
 vinculis sagæ duæ teterima facinora, complura-
 que per annos multos veneficiis perpetrata à se
 homicidia fassæ. Magnos in diabolicis artibus
 progressus habuerant, abiurata ante omnia
 Christi fide. Sed maior tanta impietate Dei pie-
 tas fuit: quæ miseris antequam supremum sup-
 plicium luerent, cū inter Lutheranos sub Lu-
 therano Principe tenerentur, & quidem Hære-
 tici eas sacrificuli tanquam funestam pestem,
 & abiecta cadauera superbo fastidio abomi-
 narentur, opportunum misit adiutorium, fa-
 miliare sibi adhæc organum, famulum suum Ca-
 nisium. Ergo reconciliatæ cum Ecclesia, expia-
 tæque sunt, & optima spe ad supplicium præmu-
 nitæ. Aliquot præterea Comites feminas, & Co-
 mitum vñum aliosque iam Catholicos tempore
 eodem Canisius & à peccatis absoluit, & monitis
 præclaris instruxit. In Franconiam inde cum re- In Franco-
niam abet.
 versos ex Austria Natali tetendit. Ibi quoque di-
 vini verbi sementē & in arce, & in Ecclesia prin-
 h cipe

Studium pro-
fectum

cipe Herbipolitana vir nunquam satur laborum fecit. Dum autem cum Episcopo de instituendo Collegio conuenitur, is ceteras inter conditiones cam apposuit, probauitque Natalis, vt ad proximi ieiunij, quadragenarias cōciones Ecclesiæ suæ ipse præberetur Canisius. Quam ob rem in Rhenanam Prouinciā transgresso Natali, in suam ille retulit se se rebus componendis intentus, quo expeditior ad Herbipolitānum suggestum rediret. Præcipua curarum fuit nouos sibi met ad omnem virtutis profectum stimulos admouere: absurdum putanti dum tanto alienas animas studio excolit, negligere suam, nec ignaro quod priuatim ipse proficeret in publicos vsus verti. Igitur cū inuicaret senescens annus, vt respiceret decursa spatia, & vires instauraret ad cursum inde maiore impetu repetendum, super piacula alia etiam à Præposito Borgia quicquid per negligentiam, quicquid aliter toto anno deliquisset, humillimis precibus, vt sibi condonaret, orauit, paratum exhibens ad poenam libenter soluendam quamcunque inobedienti filio Pater iniungeret. Simul bonam ab eo precationem ad innouandum spiritum cupidissime postulauit, vt & sociis

sociis curæ suæ creditis, & obedientiæ sanctæ in
co munere, quod valdè indignus gereret, rectius
faceret satis Faciebat id assidue vigil exercitator
præter quotidianam, & nunquam intermissam
attentionem, vt identidem per annum, præcipue
que in anni veteris exitu, ac recētis allapsu, cum
purgaret commissa superioris temporis, tum vi-
res, animumque in futurum redintegraret.

Constitutis Prouinciæ rebus, nouoque col-
lecto robore, tum multis præmunitus & suis, &
alienis precibus, Herbiopolim vbi maturum fuit,
reuertit. Respondit apparatus euentus. Quanquā
ille suo instituto, vbique plusquam deberet, exol-
uens, & laborem laboribus onerans, non solum
Ecclesiasten Episcopalem egit, sed etiam extraor-
dinaria catechesi præcipue iuuentutem sibi insti-
tuendam sumpsit. Tum Sacerdotes, quorum è
numero pauci vel formulam absoluendarum
culparum nosse ferebantur, ritè edocendos cura-
uit. Hæreticos aliquot reconciliauit Ecclesiæ: Iu-
dæam quoque Virginem sacro baptismo con-
signauit: persuasit Episcopo, vt de sua Diœcesi
rectius constituenda seriò cogitationem suscipe-
ret: quod statim doctis, ac sapientibus viris con-

1567.

*Concrouator
Herbipoli.*

*Et multa gosp
præclara.*

uocatis fieri est coeptum: publicos mores, qui corruptissimi; religionem, quæ sædè deprauata erat, pro virili correxit, confirmauitque. Quibus muneribus & de Collegio præclara concitata expectatio est, & venturis sociis apud sacros æquæ, ac profanos pro seminata beneuolentia, & existimatio, ingens rerum agendarum momentum, Hos fructus eo gratiores verosimile est Magno Patrifamilias, cælestique Domino accidisse, quo carius fidei villico constitere. Quamquam enim aduersa valetudine conflictaretur, nunquam tamen cessauit ab opere. Indè etiam, postquam ad finem vsque constanter in ea agricoltatione durarat, reuersum Dilingam aliquandiu molestæ iactarunt febres. Nempè vt geminarentur laborum præmia lucris dolorum. Tanta enim æquitatè animi, atque adè alacritatè, facilitatè item, ac modestia suscipiebat, tolerabatque corporis humanas misérias, vt calici Domini reuerenter ad mouere labra intelligeres, nec de ingenti interim quæstu, quem faceret, dubitares. Vbi primum rediere vires, redierunt & labores. Præclaram, & arduam operam Cardinali Augustano nauauit diœcesanam synodum molienti. Res in eum v-

sum

*Augustanam
synodum egre-
gè iunxit.*

sum opportunas ipse comparauit. Ipse, dum Synodus haberetur, (habita est mense Maio) sic adnifusest publicè, priuatimq; dicendo, colloquendo, agendo, vt & Synodus Tridentina recepta sit, & complura rectè sancita: successumque, secundum Deum, ei potissimum, tum P. Alfonso Pisano Cardinalis meritò adscripserit.

Vix expedito synodi curis, peregrinandum Mittitur à P^o.
eifco ad Epif-
copos. rursus Herbipolim, & Argentoratū fuit, receptis ab Vrbe mandatis summi Pontificis, vt earum Ciuitatum Antistites (cuius consilij autorem ipsum fuisse Canisium supra demonstratum est) admoneret, cohortareturque, vt mature prospicerent viam Catholici suffiendi pastoris, ne post eorum excessum illa Christi Ouilia luporum in fauces venirent. Corripit ergo confestim iter, madataque executus prosperè, satis Herbipoli, cum Rhenano Prouinciali, quem eo forte loco reperit, Francofordia, vbi sacerdotes duo de Societate, Moguntia, Spiraq;, vbi iam Collegia erant, transiens, ac socios vbique consolans, Argentoratū peruenit. Episcopū, veterem amicum apud Tabernas Alsatias conuenit, longo iam æuo, & mala valetudine oppido fractum. Audiuit perbene-

ne uole mandata: sed homo & cuncta bundus natura, & corporis languore iam obtundente animum effectus spem magis nō adēmit, quam dedit. Adiecit Canisius in alia quoq; re salutare monitum. Namque aliquot iam annis cum senatus Argētoratensis functionem Catholici cultus interdixisset, Clerus, Canoniciq; nusquam diuina in communi celebrantes, rarò priuatim, fusi, vagiq; nihilominus vectigalibus sacris saginabantur. Monuit igitur, ut occurreret ei malo, ut certum destinaret obeundis diuinis locum, nec sineret sanctissimas cæremonias aboleri. Obseruauit interea Cœnobiorum solitudinem miserādam: apostatarum greges, sacratasq; Deo facultates vel raptoribus Hæreticis prædæ esse, vel in omnem profundi turpitudinem. Cui pesti opinabatur aliquid posse leuationis fieri, si Præpositi Religiosorum Ordinum generales, suorum quisq; Cœnobiorum per se se, vel per idoneos Vicarios studiose inspicerent: idq; Consilij Romam perscripsit, & salutare fuit. Reuersus in Prouinciā dū in Collegiis ipse recognoscendis suis, & componendis elaborat, adfuit Dilingæ adolescens Polonus ab Vrbe Vienna profugus, obsecrans, & obtestans, ut se

B. Stanislaus
excepit, & Ro-
mam misit.

ut se in societatem acciperet: voto se ad hanc disciplinam iam pridem obstrictum. Viennenses autem Patres, cum turbarum ab ipsius gente metu non recepissent, spem ostendisse, fore ut à Canisio reciperetur. Stanislaus Kostka hic erat, quem statim ex quodam spirantis sanctitatis afflatu dilectum Pater benignè excepit iis hospitalibus lautitiis, quæ familiares sunt Crucem Christi, & studia seculo diuersa sectantibus. In Conuictorum enim Contubernio Dilingano famularibus ministeriis addixit; aliquandiuq; ibi exercitum sanctam in Urbem misit cum præclara commendatione, quæ non abhorret à futuræ eius sanctitatis præfagio.

Inter hæc Romanis ipse literis certior fit, optare Pium Quintum Põtificem summum, ut, quoniam compositæ ab Hæreticis Magdeburgensibus, vulgateq; Historiarum centuriæ, quanquam refertæ mendaciis, vim tamen habebāt magnam ad circumueniendas simpliciorum mentes, conscriberet ipse breuem, sed succi plenam, robustamque confutationem, quæ in apertum tractis eorum fraudibus, speciosam illam falsoque firmam autoritatis umbram, perniciosq; grassantem ad vulgus,

*Imbetur scribere
re contra C.
turiæ Hæreticorum.*

*Imbetur scribere
re contra C.
turiæ Hæreticorum.*

vulgus, veritatis admota luce discerneret. Ad eam denuntiationem inter modestiam Viri Dei, opinionemq; de se abicetissimam cum inexplorata, subitaq; obedientia contentionis non nihil fuit. Sed omnem controuersiam statim ad Præpositū Generalem, vti semper consueuerat, detulit: ei que, vbi se totum aperuit, componendam, ac diiudicandam reliquit: non recusaturus laborem, quem se omnem obedientiæ sanctæ sciret debere, & Præpositi nutum, duce Deo, fideliter secuturus. Interim, ne quod vnquam tempus operosus vir in vno duntaxat, simplici opere negotioq; exigeret, super Prouinciæ curas recognitionē habebat in manibus Romani ad Parochos Catechismi. Eū Catechismū germanice Paul. Hoffæ⁹ vertebat, ipsiq; Canisio item Pontificis iussu curandæ versionis, eiusque recognoscendæ ac probandæ demandatum negotium erat. Vbi vero responsum perlatum est a Præposito Borgia, ut stylum aduersus Centurias omnino sumeret, primū omnium summa reuerentia, & promptissima voluntate, velut ab Christo ipso profectū excepit imperium: deinde ad opus arduum, & quod supra vires rebatur suas, ite aggrediendum, & aptè prosequendum

*Recognoscit
versionem Ro-
mani Catechis-
mi.*

*Quo animo, &
apparatu ad
scribendum ac-
cessit.*

dum sacrificia, & preces in eam rem, proprias à Præposito Generali cum Societatis, tum nominatim ipsius petiit. Ad hæc per eundem Præpositum à summo Pontifice benedictionem singularem, plenamq; ex Apostolica indulgentia condonationem rogavit: magno id sperans sibi, vti profitebatur, subsidio fore. Nec Pontifex Pius fidei supplicis, pioq; studio defuit. Hæc enim vero sapientia germana Christiani pectoris est, modesta, diffidens imbecillitati humanæ, Religionum cultrix, per decretos ab procreatrice, & gubernatricerum sapientia quasi Canales caput è Cælo, & originem petens: non superba illa & proterua hominum insanientium, qui per contemptum confirmatorum tot seculis sacrorum, per ludibrium sanctissimorum ex tota antiquitate Patrum, atque Doctorum, quo fert libido ruunt: præq; se stolidam arrogantiam, fastidioque intolerando, mortales iuxta & immortales pro cæcis, ac deliris, pro Asinis, ac stipitibus habent, ac flocci faciunt. Ceterum sapiens noster totus è schola illa vnicuique Magistri, cui tamquam professoribus titulus est, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, illud sibi iam pridem optatissimum ex hoc scribendi im-

Nempe humilitate & precibus.

*Datur ei Vicari-
um Hoffæus.*

di imperio est cōsequutus, vt ipse Prouinciæ pro-
curatione, & imperandi, quicunq; esset, honore
liberaretur. Suffectus est Paulus Hoffæus, sed ini-
tio in semestrem duntaxat, Vicariique solum no-
mine; sic tamen vt administratio omnis penes il-
lum, & in totum vacatio esset Canisio: qui eode
beneficio Præposito Borgiæ gratias agēs, supplex
veniam adprecatur, quicquid non solum proxi-
mo, sed cunctis etiam superioribus administra-
tionis suæ annis commiserit, omiserit uē, vel quo-
modocunque perpetrarit: quicquid contra ipsū
Præpositum, quicquid contra fratres suos inor-
dinata, (sic enim appellat) præposteraque officij
sui functione peccarit: habiturus beneficij loco
quamcunque Pater inobedienti, ac negligenti si-
bi imponere poenam, vel denuntiare voluerit.

*Admittitur Oeni-
pontum.*

Sed antequam abderet se in literas, adiicien-
da fuit procurationi publicę appendix haudqua-
quam leuis. Semel atque iterum iussus est Oeni-
pontum excurrere, vt Imperatoris Ferdinandi fi-
lias Virgines eò adduceret, vt quando de societa-
te Confessarium volebant, hominis ad id munus
delēctum Præposito ipsi Societatis relinquerent.
Quam rem tanti ducebat momenti Præpositus
Borgia,

Borgia, ut ab alio tractari, quam Canisio nollet; ipsumque ad deuorandum quicquid inesset acerbitalis valdè cohortaretur. Non erant cohortationes necessariae viro obseruantissimo nutuum Præsidum, veroque per se pondere æstimanti rei grauitatem. Accurrit oriente iam hyeme, tempestate horrida, magnisque ac perpetuis imbribus foeda, ut, cui obedientia dux non esset, nec facile esset ausurus, nec absuturus ab temeritate, si auderet. Inter Montium enim conualles habebatur iter, in quas vndique ab alpinis cacuminibus torrentes præcipitabant. Ibant duo duntaxat Canisius ipse, & Franciscus Rocca: recens creatus Sacerdos; quo adiutore ad scribendum utebatur. Sed nusquam Ductor aberat bonus Angelus, ut manifesto quoque compertum est documento. Iam prope Monasterium venerant Benedictinorum, in Monte situm, cui nomen Etal: sed antequam subire clium inciperent, planities interiaccebat, quam Ambrosamnis interlabens, auctu pluuiarum effusus in morem stagni totam late obruerat. Nulla viarum restabant vestigia, solum apparebant procul tigilla duo: cum versus ad Roccam constanti fronte Canisius, videsne, inquit,

*Liberatur di-
munitum ingenti
periculo.*

quit, ea tigilla, Pater? inter ea transeundum est nobis: ibi pons est materia est, cui⁹ illa hinc; atq; hinc margines claudunt. Ipræ bono animo, DEO duce. Crediderim voluisse præire comitem, vt in conspectu positum confirmandi facilius, & si casus ferret, iuuandi copia foret. Horror peruaserat Roccā: tamen hæc secum, Hic meus Prouincialis est, & quoniam prægredi iubet, obedientia fretus prægrediar; cumque signo crucis calcaria subdit equo, præitque: & quanquam in ponte offendente equo, periculum adiit, tamen ambo sospites mirante toto pago qui in conspectu erat; & quia dies feriatus, spectabat, ac reclamabat, euadunt. Ad Monasterium inde peruectos, magna caritate Abbas, ac Monachi exceperunt: volentesq; continuo viam repetere, nullo modo sunt passī; validum rusticum valido vehentem equo ostentantes, qui vadare nequiuerat vallem, quæ descensu montis exeipiebat, facile octo passuum patetem millia. Exigerent secum reliquum diei, ac noctē, postridie imminutis iam aquis cum rustico eodē benè locorum perito ituros. Cessit amantissimorum hospitum imperio Pater, rogatusque vt aliquid in commune ad ædificationem spiritus loqueretur.

queretur, plenam pietatis cohortationem habuit. Postero die re diuina peracta, eo, quem dixi, agresti viatore duce via repetitur. Vbi ventum ad vallem inter alta montium iuga iacentem, nec Ambro amnis, qui eam quoque interfecat apparebat, nec vlla vsquam camporum, fossarumue aut viarum extabant discrimina: opplerāt aquæ, & exæquauerant omnia, quæ torrentib⁹ magnis hinc, atque illinc cum strepitu ingenti cadebant è montibus, perq; ipsam viam torrens voluebatur equorum aluo tenus. Cupiebat Rocca medium inter se & rusticum ire Canisium: Sed cum Pater abnuisset, præcessit haud de se magis, quam de illo sollicitus, subindè respectans, quem admodum sequeretur. Prosperè satis ad passuum millia tria progressis, iumentum Canisij. (cetera non malum hoc laborabat vitio) vertigine rotari coepit, iam iam collapsurum inter altissimas aquas. Indè festinanti Patri descendere, vteques erat minimè doctus: & ad sanctas meditationes animo plerunque aberrans, pes in stapedem inferitur: implicaturq; sic, vt cum iam alterum humi pedem fixisset, alter in stapede hæreret pendulus, captusq; nec ad resiliendum conniti, nec liberari posset,

posset, ultimo ingruente discrimine, si fortè caderet, vel loco moueretur iumentum. Ita impeditū, ac propè obrutum vndis totum Rocca dum retorquet oculos, conspicatus, grauiter perculsus cum gemitu exclamauit. Reuerti ad iuuandum moliens ab ducē rustico absterretur, haud dubiè periturum ipsum vociferante, nec ad aquarum impetum duraturum equum. Nihil ergo nisi ad Deum vota restabāt, & lacrymarum clamores in cælum, cum prospicit hominem peditem haud multo spatio prægredientem, nunquam ad id loci, quamquam aperta erant, & plana omnia, velut in lacu, visum. Aduocat ex templo. Absq; mora validis ille gressibus torrentes findens vertices appropinquat: ad Canisium euadit: exemptoq; pede eum, & equum in sicca ad latus prata subducit. Eo & Franciscus incitat equum, defilitq; & in cari Patris ruēs amplexus. Vt angebar, inquit, quod opem ferre, cum auerem, nullam possem. Cui Pater, affirmo tibi nunquam me perinde tranquillo animo, ac læto fuisse; mecumq; aiebam, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Tum ad hominem, qui tulerat opem, ore iucundo, ad hospitium, inquit vna prandeimus, & persoluam tibi debitū

ex vi-

Singularis animi tranquillitas in discrimine ultimo.

ex vino donum. Ille vultu liberali visus probare dicta, repositis in equos Patribus præire perrexit. At ubi ad aquarum vêtum est finem è conspectu cuauit. Hominem rusticanum accolarum è numero habitus ac species indicabant. Rocca tamen, cuius nos & ex ore, & commentario hæc accepimus, nunquam dubitauit, quin cælestium fuerit ciuium vnus à Deo missus, qui sancto illi Patri laborum spatium in publicas vtilitates propagaret. Idq; argumentabatur, tum, quod ante necessitatis momētum nunquam apparuerat, tum, quod, vt extra periculum ventum est, desit apparere. Nec erat simile vero promissa benignitate, cum hospitium proximè abesset, se se fraudaturum. Vt cumq; Lector accipiat: mihi haud paulò mirabilior est illa Canisij in supremo discrimine securæ mentis lætitia, & immortalitati tantquam ex proximo ostensæ manus iniiciendæ cupiditas.

Rebus O Eniponti, quam potuit optimè, gestis, reuersus Dilingam ineunte anno duodecesimo stylo manū admouit. Ceterum vix primas duxerat lineas, cum vehementer institit Cardinalis Otho, vt per magni Ieiunij opportuna

1568.
*Eluagium ex-
colit.*

na

*Obedientia.**Cardinalis
Augustanus
virtus.*

na negotiis animarum tempora, secū Eliuagam abiret. Verebatur obsequentissimus Doctor, ne operis interpellatio, quod Pontifex Maximus imposuerat, cōtra obedientiam esset. Itaq; tanquam vnus è numero rem integram Dilinganorum Patrum voluntati, arbitrioq; permisit. Qui cum optimo Cardinali minimè negandū ex intermissione non magna magnum adiumentum censuissent, nullam ipse cunctationem obiecit. Extitit sane dignum opera illa pretium. Mensis vnus spatio præter confirmatos Catholicos, amplius viginti Hæretici abstracti ab erroribus suis, & ad orthodoxos reducti. Multorum expiata conscientia, & pauperum in primis in publica hospitali æde degentium. Verū Canisius in commemoranda totus est virtute Cardinalis, de se se reticens: cū tamen dubium nequaquam sit, quin rerum ab illo quoq; gestarum pars non modica ipsimet, vel vt auctori, vel vt adiutori debeatur. Lauisse pauperibus propalam pedes in templo: iisdem discumbentibus domi ministrasse: tum singulos etiam donatos stipe dimisisse: Oppidum circumiisse quæritantem inopum domicilia, suaq; manu eis præbuisse inopiæ leuamenta: ægrotos in-

uuisse

Manuscriptum ex-
cortis.

in fide item fraud inani manu callos de hanc opor-
tes & populo & concione, alloquior, & exemplo mi-
nificere ut alio pertinales in errore ad vertendum
solum compulsi sanxissent, in postquam, necul
inquidino Evangelium pateret accessus, nisi qui Cla-
tholicam fidei fuisse professus esset. In eo die mi-
nera Paschalis, Peria appelleretur, cum & Cati-
sus ad intermissam descriptionem totus animus au-
mentis scilicet, in prelo acteretur. Hic bispolim
studiumque in gestibus fatigatur, ut quod in pae-
curat, in frequenter in supplex tumorem, ab
Ludhianis dispersum, ille cum cogit, ut domum
venerat, & prisco delecto cultu, ad ipsam mo-
rum Evangelium dominum, & in dū, in am-
pliare, & in fultare, Catholicis, & in q̄, in a-
videretur, sapientibus, & in a- in credibilibus, & in a-
ad iotishon, leuq̄, dilectum affert, qui, & in a- suba-
tan non dubitarent, & in a- persuaderent, sibi aliquid
tandem vidisse, ejusmodi, in a- quare, in a- va-
toribus, sacra praestare. Igitur, & in a- in a-
& in a- le machinam, in a- in a- in a-
dictas, & in a- in a- in a-
re, quoniam, in a- in a- in a-
in a- in a- in a- in a- in a-
ibid.

k

terque

terque ad fr̄quentissimam concionem verba fecit. Nudauit Hæreticorum fraudes, & in sua ipsorum capita vertit: Catholicos demum in prisco Euangelio, quod vnum, verum, sanctum, ac salutare est, nec, etiam si Angelus de Cælo nuntiaret, aliud esse potest, vehementer constabiliuit.

*Legitur primus
Prouincia procurator.*

Regressus Herbipoli accitur Augustā ad Prouincialem conuentum, qui primus, vt in ceteris quoq; Societatis Prouinciis, habitus est ad Procuratorem legendum, qui profectus in Vrbem simul videret, numqua esset causa, cogendæ generalis Congregationis, simul de Prouinciæ statu Generalem Præpositum edoceret. Vt erant ij primi conuentus, nec dum constabat Prouinciales ad eam procuratorem destinari non debere; Patres qui neminem putabant nec plenius, nec sincerius posse, seu de Prouincia loqui, seu de totius Societatis statu deliberare, Canisium ad id muneris legunt. Excusanteq; eo hic quoq; iniūctam sibi Pontificio iussu scriptionem, nullum inde impedimentum rati, sed potius non mediocria habiturum Romæ ad eam ipsam rem subsidia ab libris, doctisq; viris, in sententia perstiterunt: nec post multo in urbē iter corripuit ab ipso ductus
Cardi-

Cardinali Othone, vt simul cum Pontifice maximo quædã de Germania iuuanda tractaret. Qui, *Ancona lumen diuino illustratur.* vbi in Italiam vêtum est, iter per agrum Picenum instituunt sanctissimam Laureti Deiparę Cellam veneraturi: cui & magnifica dona Cardinalis ferebat. Eo priusquam peruenirent, maximè memorabilem Canisio diuina beneficentia urbem Anconam fecit. In templo principe eius vrbis in semet inquirenti, seduloq; peruestiganti, quo ritè cursum dirigere, ne quo aberret, debeat, aperuit Deus oculos mentis; nouumque de Cælo lumen infudit ingens, fidele, magnarum caput, ac fontem laudum. *Familiam solida.* Montrabat id lumen interiori oculo verum, firmumq; fundamentum religiosę vitæ: simulq; docebat, quẽmadmodum consilia ei sua omnia imponere, & studia omnia, & facta deberet. Fundamentum autem erat suimet cognitio intima, perquam penitus comprehenderet vilitatem, inanitatemque suam, quam foret ipse nihil, quam boni nihil neq; nosset, neq; vellet per se, neq; posset, neq; haberet: cum omnium bonorum initia, media, extrema in vno sita Deo, nec vsquam alibi prætèrquam in Deo ab ratione videntibus collocanda sint. Haud dubie iam pri-

dem talia non tantum animo quæ agitarat, sed & sapientius populo decantarat. Doctor eximius, cum prima veluti elementa sint discipline pietatis: ceterum interest, quo cernantur in lumine, quam efficaci, ætuoſaq; notitia cognoscantur. Nam quis ambigat Magnus olim Antonius quin sapius eadem Christi verba aure corporis accepisset, quæ tandem, cum aperiens cordis aurem, diuino spiritu audiuit, nuntium rebus humanis ex templo remisit. Eximij certe, ac singularis loco muneris lumen id Canisius ipse numerauit. Nam & adnotandam eius memoriam scripto censuit, cum immensis actionibus gratiarum, & proficitur in eo se didicisse non ad præsens modo, sed ex eo tempore in posterum etiam, tēpus omnes super fundamentum illud verum, firmumq; cum voluntates, tum actiones ac res suas ponere: ac nouis semper oculis coram Deo intueri, eiq; nouo modo subiici, & inseruire, & ad hæc ipsa in futurum præstanda nouo animū proposito obfirmasse in humilitate, & simplicitate cordis ambulantiem: ubi statim exclamat. O sanctum hoc studium, si continuū, aures simplicitatis, vt humiliet se miser, & vilis homo, qui non excauerit, & pure docerit,

doctum sub potenti manu Dei, dans illi gloriam,
qui soli ea debetur, & sibi seruans, quod solum a-
pud se reperire potest, defectum, corruptionem,
misericordiam, & alia multa. Hæc autem dona enim
vero sunt maxima, & altissimarum cognitioni
rerum sterili, incertique haud paulo præoptanda.
Igitur hæc noua diuinitus prelucente mentis face,
inspiciens se homo Dei, despicensque, & ab hu-
mani planus titillatione pectus perpurgans, quo
fundamentum firmitus posuit, quò altiores in san-
ctæ humilitatis foecundo gremio radices egit, hoc
malem ædificij celsiorem superstruxit, hoc vbe-
riorem deinceps in segetem mäsurarum frugum
exuberavit. Salutata Laureti ingenti sensu Deipa-
ra, vbi & latinam concionem in sacrosanctæ Tri-
nitatis solemnibus, sacris operante Cardinali Otho-
ne, habuit, in urbem sanctam peruenit, ipsi san-
ctissimo Pio quinto Pontifici expectatus, cupien-
ti coram ex eo de rerum statu remedioq; cognos-
cere. Nec exigua pars ipse fuit Canisius, vt Consi-
lium quatuor Cardinalium constitueretur, quo-
rum cure in iuuando Septentrione excogitandis
vitiis idoneis, virgendaq; restitutione religionis per-
eas oras proprie vigilarent. Concessit autem illi

*Roma res Se-
ptentrionales
tenuat apud
Pontificem.*

beni-

k 3

beni-

benigne Pontifex spiritualia quædam postulata: interq; cetera perfectæ expiationis gratiam fecit Paulo Hoffæo propter laborem, quo perfunctus iam erat in vertendo germanice, vulgandoq; Catechismo Romano, sicut & cōcesserat inchoanti.

Magnam Socij Romani ex conspectu tanti viri, & raris virtutum eius exemplis capiebant animo voluptatem, & alacritatem concipiebant ad imitandum. Idemque pia etiam adiungebat hortamenta linguæ. Nam certatim inuitatus per domicilia nostra spirituales habebat homilias, quarum vnam ad Tyrones Augusti Kalendis habitam, memorabilem fecit oblata inde beato Stanislao, quem supra narrauimus ab eo missum Romanam, sui prædicendi finis occasio. Cum enim ex vulgari Italorum verbo, quo se feriari Augustum eo die dictitant, orationem Pater instituisset de modo, ac via qua se comparare quisque posset ad menses omnes quam bellissimè feriandos, hoc est, optimè, ac sanctissimè transigendos, eamque docuisset esse, vt vbi nouus mensis appetit, cum quisque futurum sibi supremum arbitraretur, seque ita componeret tanquam planè esset eo mense mortem appetiturus. **Beatus Stanislaus propriè**

Beatus Stanislaus occasione exhortationis Canisij prædicantis obiit.

prie ad se pertinuisse dixit eiusmodi monitum, vt Canisius redit in Germaniã.
cui Augusto ipso mense, quem tum inibant, moriendum sine dubio esset, quod mox mirè comprobauit euentus. 1569. Canisius perfunctus iis, propter quæ in urbem venerat, negotiis, perq; autumnum profectus, atque ex itinere Florentiæ, Ferrariæque Reginis, quas olim Oeniponti instituerat, salutatis, inque cultu religionis, ac virtutum suo statui conuenientium confirmatis, excitatisque, insequentis anni Ianuario iam inclinato in Germaniam venit: factoque initio ab Oenipontano Collegio, reliqua etiam vt ferebat ab vrbe mandata leuiter recognouit. Concionatur Augusta. Deinde sacri ieiunij conciones Augustæ ad Sancti Mauritij habuit Fuggerorum maximè rogatu, quorum pietati aduersus ordinem nostrum, Augusta-
nasq; res denegari id officij
non potuit.

Finis Libri Secundi.

DE

DE VITA ET REBUS GESTIS P. PETRI CANISII

E SOCIETATE IESV;

LIBER TERTIVS.



Scripsit interim Borgia, ut prorsus in
Paulum Hoffaum translata Prouin-
cia totus se ipse ad scribendum con-
ferret. At Patres, quoniam Hoffaus
necessariis admodum causis putabatur, a statem
agere Oniponti debere, prohibebat abdicare se
ante autumnum, vel certe priusquam de statu re-
rum edoctus Praepositus, de integro quid facto o-
pus esset, nuntiaret. Sed ille Patrum quidē consi-
lia scripsit in urbem, verum nullo expectato re-
sponso ad exoptatam diu humilitatem euolans,
Prouinciam in Hoffaum transfulit: gnarus hoc
in genere praueeniendos potius Rectorum nutus,
quam lentē sequendos. Dedit ad singula Colle-
gia literas modestiae plenas, & paterna cohortati-
one. Quae quales fuerint potest ex iis intelligi, quae
Ingol-

*Modestia, & a-
lacratis, in pro-
uincialatu pe-
nendo.*

Ingolstadiani Patres scripserunt his verbis. Visita-
uit nos etiam mense Maio P. Canisius, qui omni-
bus pietatis, obsequij, Caritatis dedit exempla.
Cunctos his literis, quas post discessum suum re-
misit, quibus se officio, quo annis quatuordecim
functus erat, abdicabat, atq; R. P. Paulum tuæ Re-
uerendæ Paternitatis voluntate, & mandato Præ-
positū Prouincialem declarauit, vehementer cō-
mouit. Scripsit & ad Præpositū Borgia post actas
vri anno quoq; proximo fecerat, bonitati diuinæ
gratias, ac Præposito ipsi, quod tandem vacatio si-
bi, & successor is datus esset, quem meliorem quā
se, & sapientiore, & aptiorem ei difficili Prouin-
ciæ pro dignitate administrandæ esset expertus:
postq; rogatam & veniam, & poenam eorū, quæ
annis fere quatuordecim contra officij sui ratio-
nem admiserit, seu prætermiserit maiortē in mo-
dum petit, vt suis precibus nouam sibi mentem
impetret à Deo, vt ritè cognoscat, & assumet di-
gne collatū in se in præsens beneficium, per quod
animum totum colligere, & quod misere hæte-
nus neglexit, aliqua ex parte compensare possit.
Addit dedisse se etiam literas ad nouū P. Prouin-
cialem, ac rogasse, vt de se libere statueret: libenter
I enim

*Cura sui profe-
rum.*

*Obedientia
humilis.*

enim ducē Christo, non minus, quā inferiore
 alium esse pariturum. Sancte admodū Romanos
 Patres affecit rarum id Ipecimen subiectæ adeo,
 atq; obsequiosæ mentis. Borgia sensum animi sui
 declarauit his verbis.

*Laudatur à
 Preposito
 Borgia.*

Qua ratione usus es, Pater, in Prouinciali o-
 nere deponendo, ea nobis summe probata est
 valdeq; tam illustri exemplo commoti excitatiq; su-
 ius. Nimirum ita posuisti, uti gesseras. Nam
 patientia tanta, qua per annos quatuordecim eam
 sarcinam pertulisti, inter continuos administrati-
 onis domestice labores, nunquam pratermittendo
 alia Instituti propria ministeria, tantus Zelus, in-
 tegrilas, prudentia cumulate & Prepositis ante
 me, & mihi fecerant satis, & multum edificationis
 prebuerant. Et quanquam nouus Prouincialis,
 & uniuersi de Prouincia ista, aliq; vicinis merito
 habere debeant te loco Patris, cuiusq; Patris, qui cū
 de ipsis, tum de cuncta Societate in Germania præ-
 sertim, meritis optime sit, tamen alacritatem, &
 humilitatem qua obedientiam ipse nouo Preposito
 defers cum gaudio vidimus. Quippe talibus do-
 cumentis fieri nequit, quin commoueantur pluri-
 mum ii, qui tandiu tua sub disciplina, ditioneq; fu-
 erunt,

erunt, tantq; amplius confirmant voluntates suas ad obtemperandum quam absolutissime Præpositis suis. Iam hinc intelligis quam nihil sit, cur commissorum in eo manere, quam petis, penam expectes. Quin ad eò vobis de Deo Domino spes est, latè eum labores remuneraturum, quos in ea procuratione suscepisti & sanctos, & fructuosos.

Hæc ad Canisrum Borgia. Idem Hoffmanni admonuit, tametsi P. Canisius sub potestate eius, vri spontè subdiderat se, esset futurus, tamen meminisset reuereri talem virum, & vbiq; veluti Patrem tractare: consiliumque eius in grauioribus rebus exquireret. Ceterum duo hæc documenta eximie & prorsus ad puram excoctæ virtutis Canisius dedit hoc tempore. Primum tanti æstimauit re vera, ex animiq; sententia beneficium hoc otij sibi, & vacationis concessæ, vt sæpius reputaret secum, & apud Brasides quoque profiteretur, nunc maxime amittū sibi ad custodiam suimet, curamq; controuocandum esse, id quæ eo præsertim faciendum (quod plane fecit) ne ingratus beneficio, ac tempori videretur. Deinde Obedientiam ita cepit, non modo vrinferioribus se omnibus æquatet, sed vt tractandum, ducendumque,

*Humilitas
Canisii.*

Obedientia.

& versandum non fecit, atq; ~~aditum~~ nouitio-
rum præberet: quod Dilingam Collegij Mini-
ster (eo enim Canisius secesserat) quotidiano vfu
cognoscere se, expeririq; restabatur. Nec Prouin-
cialis Hoffæus, vni ex his, quæ deinceps dicentur,
constabit, paratæ illi voluntati defuit: sed bonam
semper ad exercendam se se, & cumulanda in cæ-
lo merita facultatem suggessit. Quod autem, vbi
primum Dilingam secessit, vitæ genus institue-
rit, ex eius Collegij communibus literis iuuat de-
scribere, quarum particula est talis. His fratrum
studiis non minima accessio facta est ex præclaris
Seniorum Patrum in omni virtutum genere ex-
emplis, præsertim autem ex Reuerendi P. D. Petri
Canisij religiosissimo apud nos conuictu. Post-
quam enim is Pater difficillimo se Præpositi Pro-
vincialis munere, quod circiter quatuordecim
annos in hac Germania nostra præclare sustinuit;
ob grauiissimas alias à summo Pontifice sibi demā-
datas occupationes superiorum nutu abdicauit,
mirum quanta submissione, caritate, familiarita-
te nobiscum versetur, & agat. Nihil illi perinde
gratum, & iucundum accidere potest, atq; tem-
pus omne, quod necessariis studiis suffurari po-
test,

*Studiosum pne-
viliu Gateche.
Jeqr.*

rest, puerorum, ac rudium, tam privata, quam publica institutioni impendere, domesticisque nostris necessitatibus; præsertim in excipiendis Germanorum confessionibus alacriter inservire &c.

Porto quanquam se totum in Studiorum occupationes abdiderat, tamen vitari non poterat, quin, cum vndiq; ad caritatem, atq; sapientiam tantam, ac paulo ante tam promptam, atq; expositam omnibus, pristino more concurreretur, interdum in publicam lucem, operamq; retraheretur. Aberat Dilinga tridui itinere Matrona prænobilis, cui (quod nimium sæpe vitio mortalium usu venit) cum liberis suis annos complures con-

*Excurrit ad
pacem concula-
ndam.*

uenerat pessime: neq; dissidium per multos, & magni nominis arbitros ad cōcordiam vnquam reduci potuerat. Visum est tandem vtriq; parti quippe Catholici erant, Canisium euocare, eiusq; fidei, ac prudentiæ tanquam arbitro ac sequestri causam omnem permittere. Existimarunt Patres, quorum sine consilio, ac nutu nihil mouebat, non deferendum piam adeo causam, nec occasionem prætermittendam. Itaque Deo duce, quò vocabatur perrexit, pacem composuit, semina in

futurum dissidij, quoad prouideri potuit, fustulit: præterq; ea, non pauca alia eodem loco è Catholica re perfecit. Haud longo interiecto tempore Vrsula Fuggera iam vidua cum Ioanne Fuggero, aliisq; domesticis Lauretanam, ac Romanam peregrinationem ingressa impetrauerat viæ comitem, & conscientiaë Iudicem P. Vendelinum Volkium, qui multorum confessionibus egregio cum fructu Augustæ præerat. Existimauit Prouincialis Hoffæus vacuum eius locum relinquere non debere: nec à quopiam absentis vices melius, quam ab Canisio, pro autoritate viri apud omnes Augustanos, maximè apud nobilitatem suppleri posse. Id cum Præposito Generali nuntiasset, statim ille rescripsit, siquidem publice interesset Canisium habere domicilium Augustæ, haberet vtiq;: sed vt iniunctis à Pontifice vacaret studiis, in totum ei à confessarij munere vacatio esset, nisi si vnus cuiuspiam personæ maioris habenda ratio videretur. Sacerdotem itaque alium, quem nominabat, confessionibus destinaret. Hæ literæ quanquam celeriter tamen sero perlatæ sunt. Canisius simul ac Prouincialis innuerat, absque mora tanquam nihil præterea haberet negotij.

aduo-

*Obedientia
simplex et
prompta.*

aduolarat. Quippe quanquam ex obedientia studiis occupabatur, vitabat tamen errorem, siue improbitatem eorum, qui iussis maiorum Præsidum obiectandis obtentum contumaciæ ex obedientia quærunť: semperque putauit quicquid Prouincialis, alique sibi Moderatores præciperent, nequaquam id contemptionem mandati, sed interpretationem mentis esse Pontificis. Itaque fidenter aiebat, valeant studia, si ab his auocat obedientia, cui me totum debco. Hoffæus acceptis ab vrbe literis, quandoquidem auditionem iam Canisius confitentium inchoarat, nec longæ erant futurę vices, nihil retractandam putauit, nec Borgia vrsit.

Hic verò videre licuit vim cælestis illius oraculi, Virobediens loquetur victorias. Iniunxerat Hoffæus Canisio (qua præcipuè causa vnus omnium lectus idem putaretur fuisse) vt quando in Vendelini locum Augustæ sufficiebatur, inter alia munera, & illud, quod idem inceptarat, susciperet, vt Exorcistam ageret Virginis nobilis. Anna erat Bernhusia, quæ octauum iam annum miserè torquebatur. Sumpsit igitur arma vir obediens, conseruit fortiter manus, & dedit illi victo-

riam

*Exergum in nam
liberat.*

riam Deus. Decem tartarcos obsessores, obstinatosq; tyrannos ex occupata sede expulit. Reliqui Augustæ ad Sancti Vldarici, postremus ad ædem Deiparæ Oetinganam expulsus. Vbi præclara statim ad spectatores rei miraculo perculos verba Canisius adiecit, admonens, vt in se quisq; descenderet: exploraret animi sui statum, noxas confessione piaret, vitæ nouum genus institueret, ne Diabolo aditum aperiret. Cessite cares magno bono non liberatæ solum virgini, sed aliis quoque permultis, ac nominatim præstantibus viris duobus, parenti ipsi virginis, qui cum Lutheranus tota fuisset vita, Catholicus factus est: tum Marco Enggero (is erat eius familiæ Pater, & Princeps) qui serio animum ad virtutem applicuit. Illud tamen probabat magnoperè Canisius, quod optare Borgiam intellexerat, vt ad id muneris vix vnquam Prouinciales quenquam de Societate admouerent, testatus se nunquam vti sperabat, futurum amplius Exorcistam. Quippe Borgiæ, atque aliorum ante cum Præpositorum sententia erat, Societatis esse partes ex animis, magis, humanis quam e corporibus malos fugare Dæmones. Liberationem hanc alij fusè admodum

*Non probat uo-
luntate homines
multum occu-
pati cum Ener-
gum.*

etiam describere. Plura mihi desiderare locis vilis non est. Solum monuerim & Canisium, & literas à Prouincia tempestate eadem scriptas, decem numerare expulsos Dæmones, cum alij non nisi numerent septem. Regresso ab Vrbe Vendelino Augustam, retulit se Dilingam ad lucubrations suas Canisius: Augustæq; vti Patres ipsi con-
tubernales memoriæ commendarunt, gratum omnibus post se sinceræ humilitatis & caritatis odorem reliquit.

Iam totus erat in libris, totus in pugna cum Ministris Hæreticorum. Et quâquam operosum in primis, & graue tractabat negotium, tamen in dies vberius fruebatur obedientiæ pace, inferiorisq; loci securitate. Palamq; proficiens experimēto ipso sentire se quanto demum subesse, quam præesse sit optabilius, non desinebat tum nouas agere Deo grates, atq; Præsidiibus, qui onus sibi adeo humeris suis impar detraxissent, cum tamen de gratû se beneficio, beneficij ipsius recto vsu, magis, ac magis præberet. Non tamen animarû causas omnino destituerat, sed & impensè subinde opera & consilijs, & vitæ suæ in urbem exemplis, & literis etiam more sanctorum Doctorum, inprimis

m

misq;

*Libertatem in ad-
monendo.*

misq; Hieronymi scriptitandis: ex quarum vnus
caput adscribi res postulat, quo Cardinalem Au-
gustanum ad reuiscendam suam Ecclesiam (nam
Romæ degebat) hortatur: vt appareat personarū
insignium amicitias, quam non in suam, & ipso-
rū perniciem per corruptrices assentationes, sed
tantum in commune bonum libertate Christia-
na foueret, atq; adeo quo merito eidem Cardina-
li verè sapienti, ac pio, tam carus, ac venerandus
esset. Quod, inquit, ad Augustanam Ecclesiam at-
tinet, multi mecum exoptant reditum tuæ Celsi-
tudinis, & grauissimas quidem ob causas, sicut &
ante scripsi. Peius cum hac agitur Ecclesia, quam
istic vel credatur, vel intelligatur: & interim tot,
tantisq; sarcinis grauat suam conscientiam Epi-
scopus, vt mirer sane quomodo quietum somnū
capere possit, præsertim vbi tot animarum millia
percutunt, & ob Pastoris absentiam oues, simulque
Pastores inferiores periclitantur. Ignoscatur mihi
quæ solo liberè dicenti, quod sentio, quoniam amo
Dominū meum Cardinalem Othonem, cui præ
omnibus debeo. Mallem sane illum absq; hoc E-
piscopatu viuere, quam solo Episcopatus titulo
gaudere, & oues tam negligēter pascere, quarum
plura m lana

Iam victitat. Alij spectent emolumenta temporalia, & amplos quarant honores: ego futurum cito iudicium, & reddendam acceptæ villicationis rationem, & paratas poenas malo dispensatori confidero, simulq; timéo vehementer. Dominus Iesus aperiat oculos nobis, vt debitam Pastoralis, & Episcopalis officij rationem intelligamus, nosque diligentius ad spiritualia restituenda, & promouenda accommodemus. Hæc fidelis monitor adeo grauitè, ac seuerè, non sane, quod iustæ Cardinali causæ deessent vrbanæ commemoratio-
nis (quis enim alioqui illo amatiore gregis Pastor?) Sed quia vbi res agitur animarum, velleuissima negligentiæ species valde sapientibus formidatur.

In sequentis anni primo vere edita est suscepti operis prima Pars Dilingæ, tanta cura, ac sollicitudine intelligentis ciuis, exquisitiq; iudicij, vt à frequentissima, & expolitione ne tum quidem abstrahens, tum sub prælo res essent, typographicas operas haud modice fatigari. Nec iniucunde opinor, cognoscent qui præsertim studia versant sapientia, quid in hoc opere moliendo sequutus sit autor, quantumq; aliorum iudiciis tribuendum sit, quid digna luce, & approbatione Doctorum e-

1571.

*Edidit opus c. 6.
S. Jo. Baptista.*

dere inducat animum. Ea luculenter docebit epistola, quam vna cum volumine ipso Canisius ad Præpositū Borgiam misit his ad litteram verbis.

Pax Christi nobis æterna, Admodum Reuerende Pater.

*Quod consiliū
in hoc opere &
quam viam se-
quantur sit.*

EX primitiis operis mei, quas tarde quidem, sed utinam mature satis edam, dea nihil satie elaboratum contra istiusmodi sectarios hoc tempore, & in tali argumento conscribi, & edi posse arbitror. Ac primum quidē à Paternitate tua supplicem veniam peto, quod fortasse præter mentem, & scopū illorum, qui operis huius consciendi autores mihi fuerunt, labore in mihi auxerunt; fususq; tractarim propositum argumentum. Nec enim satis habui cum solis Centuriatoribus dimicare, sed & complures alias præcipuos quidem huius ætatis sectarios in medium quoque pertraxi, & per occasionem impugandos putavi: vere ut hoc opus de corruptelis Verbi Dei inscriberetur. Deinde res ipsa monebat, alios non præteriri, quorum sententias, errores, & verba Centuriatores emulantur: ne alioquin illi frustra incusarentur in his, quæ cum aliis communiter

niter docent, maleq; sentiunt. Prodest etiam hac qualiscumque collatio sententiarum in Verbo Dei interpretando, ut rectius cognoscatur confusio, & absurditas, & impietas opinionum, quas nobis inuehunt aduersarij. Et spero futurum, ut saepe lector ex hoc opere quendā animi horrorem induat, prorsusq; detestetur tot, ac tantas istorum abominaciones, quas in Evangelica Historia tam impudenter admiscunt. Sed fortasse prolixius egi de solo Ioanne. Sit ita, ut hic mihi plusculum indulgerim, dum undiq; arripio, quae argumenti propositi affinitas, & Hereticorum vanitas suppediabat. Illustravi, ut spero, Ioannis Historiam, adiunctis ubiq; testimoniis Patrum, ut sciant Heretici, nobis non deesse arma, quibus in huiusmodi personis Evangelicis cum Ecclesia celebrandis, & cōtra novos Theologos defendendis utamur. Habeo non minorem nunc mihi paratam supellectilem ad Mariae Detractae Historiam vindicandam, & expoliendam. Et si quosdam hac probationum offendet copia, non deerunt spero, qui probent diligentiam in Dei sanctis glorificandis, praesertim quando nunc maxime nihil non mordent in istis, & labefactare conantur Heretici, ut multis Catholicis virulentia sua

negotium facessere videantur. Erunt prater ea Ro-
ma, ut vereor, qui me discant immodicum fuisse in
citandis Hæreticorum verbis, & cumulandis sen-
tentiis, sic ut nemo fortasse, quod sciam equidem, in
hoc genere accuratius fecit. Verum intelliget illu-
strissimus Dominus Cardinalis Varmiensis, aliq-
uires sapientes in his regionibus bene versati fac-
buntur hac remedia Germaniæ nostra morbis ho-
die grassantibus conuenire: simulq; hac ratione Ca-
tholicam doctrinam in multis confirmari, & noua-
torum impietatem, stultitiamq; manifestius prod-
& fortius dissipari. Verum, non est cur ego me, &
librum hunc meum excusem, aut defendam pluri-
bus. Deum inprimis rogo, ut immensa bonitate, gra-
tiaq; sua suppleat, quod in hoc opere toto conficiendo
à me vel admissum, vel prætermisum est male. Si
vero ad sanctissimum Dominum nostrum liber est
perueniturus, nihil desidero magis, quam pro meis
peccatis, & negligentis plenariam indulgentiam
impetrari. Tua vero Paternitas in suo quamli-
bet mihi iniungat penitentiam, ea me dignum esse
nunquam dubitabo. Nunc paucis indicabo quid
inprimis circa hanc Primam operis Partem cupiam
observari, ut ad reliqua, si progrediendum erit,
mibi

mibi munitior via sit, & certius ad Dei gloriam omnia conficiantur. Primum vehementer oro aliquem ex Theologis designari lectorem simul, & censorem operis univ[er]si, qui sedulo annotet, in charta, separatim excerp[er]at, quibus in locis mutatione aliqua opus esse videatur. Mihi non displicebit si ex Patr[um] iudicio quadam isthic in margine corrigan-
 tur priusquam liber aliis exteris communicetur. Quod si multa ex opere tollenda, vel integra pagina refecanda viderentur, cupio ea de restatim admoneri, quia non dum liber in publicum prodiit, nec prodibit forrasse ante menses aliquot, ut postea dicam. Ex qua nostrorum censura, & diligentia in relegend[er]o libro hunc quoq[ue] fructum colligam, spero, ut admonitus ab illis in posterum sciam, qua mihi potissimum in reliquis vel observanda, vel cauenda esse videantur. Liberum certe admonitorem expecto, atque desidero, paratus non solum patienti, sed etiam alacri, gratoque complecti p[ec]tore quicquid contra meam scriptionem fuerit iudicatum. Quod si ex hoc qualicumque gustu futuri operis iudicium fiet, non opera pretium videri, ut diutius ego in hoc pistrino verfer, qui coram Deo, & Paternitate tua profiteor, me ad hoc tantum sustinendum opus mul-

Censores expecto labores.

Obedientia, & humilitas.

tu modis indignum, ac imparum esse, præsertim si
cum aliis doctioribus Theologis conferar, nemo sus-
spicetur queso, me grauatim hoc accepturum esse.
Imo vero præclare mecum actum iri putabo, si post
hunc librum primum editum cessare iubeat, & a-
liis tradam lampada, qui rem tantam pro dignita-
te velint, & possint absolvere. Nec enim ignoro a-
lias vocationis meæ proprios esse labores, quibus
maior fortasse cum fructu, gustuque spiritus hoc
tempus, quod molestissimis studiis triuo, possum ac-
commodare, quando ita obedientia sancta permittet.

*Probatum ma-
gnopere opus.*

Probatum est ex merito vehementer opus cū
vbiq; alibi, tum in vrbe Doctis, ipsiq; Pontifici,
qui solamen exhausti laboris, quod Canisius vni-
cum ad corrigendam suam (sic ad Polancū scrip-
sit) innouandamque vitam expetiuit, plenariam
indulgentiam summa voluntate concessit. Ade-
rat in Vrbe Cardinalis Hosius, qui perlecto opere,
vt primum Polancum vidit, in maximam eius
commendationem excessit. Plurimum à doctri-
na, perspicuitate, modestia, iudicio, prudētiaque,
ab ingenio, & acumine commendabat, eloquen-
tiam item ac stylum summè probabat; sed supra
omnia pietatem admirabatur, quam elucere illo
in

In opete sic affirmabat, ut in veterum Patrum, atque Doctorum monumentis. Denique quam fidei suae confessionem Pater libro praefixerat, eam vero sine ullo fine, & mirabatur, & praedicabat: proutinque ab ipso voluit Polanco, legi, cui ite æque pia, ac docta, succinctæ breuitatis, ac plurimi succi visa est. Quam nec aliter quisquam existimabit, qui legerit. Quam ob rem nec lectorem hac fraudauerim voluptate aliove reiecerim. Est ergo huiusmodi.

Confiteor tibi Pater Domine cali. & terra, Cre- Confessio pulcherrima operi
praefixa
ator, & Redemptor meus, virtus & salus mea, qui iam inde ab infantia me sacro pane verbi tui pascere, & cormeuum confortare nō desisti. Ne vero vagarer cum errantibus omnibus, qui sunt absq; Pastore, in domo Ecclesiae tuae collegisti, collectū educaisti, educatum conseruasti, & sub illis magistris, atq; pastoribus instituisti, in quibus te praesentem audiri, & vocem tuam obseruari domesticis omnibus praecepisti. Confiteor ore ad salutem quicquid corde ad iustitiam ab orthodoxis, atque Catholicis creditur. Non novi Lutherum; Calvinum respuo; Haereticis omnibus dico anathema. Nihil mihi cum his commune esse volo, qui unum non dicunt,

cunt, & sentiunt, eandemq; fidem non tenent regulam
 eam unam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam & Roma-
 nam Ecclesiam. Si quis verò Christum non solum in
 verbo scripto docentem, sed in Oecumenicis etiam Sy-
 nodis iudicantem, in Petri cathedra sonantem, & in
 Patribus testificantem audis, ac sequitur, huic ego
 communione confocior: huius & fidem amplector,
 & religionem sequor, & doctrinam probo. Quam
 enim alij blasphemant contemunt, & persequuntur
 Romanam Ecclesiam, ac velut Antichristianam
 execrantur, eius ego me civem esse profiteor, ab eius-
 dem autoritate non latum vogue me discedo: ab illi-
 us testimonium vitam, & sanguinem profunderem
 non recuso; nec alibi prorsus, quam in eius unita-
 te Christi Domini merita, & sancti Spiritus dona
 mihi, & alia salutaria fore confido certoque per-
 suasum habeo. Cum Hieronymo liberè profiteor:
 qui Petri cathedra iungitur meus est. Cum Am-
 brosius, Ecclesiam Romanam in omnibus cupio se-
 qui: eamq; Catholicam Ecclesiam radicem, & matr-
 cem cum Cypriano reuerenter agnosco, in qua sem-
 per, ut Augustinus predicat, Apostolica cathedra
 viguit principatus. In ea verò fide, atq; doctrina
 conquiesco, quam puer hausi, adolescens retinui, ac
 que

que hactenus pro mea exiguitate defendat. Ceterum
ob nullum commodum temporarium, nec in homi-
nis cuiusquam gratiam, vel aduersus conscientiam
(sic te mihi Deus propitium semper opto). Doctoris
Catholici partes huc usque sustineo, aut in posterum
sustinebo. Quam confessionem non aliud sanè à me
exigit, & extorquet, nisi nominis, & honoris tui
ratio, nisi agnita veritatis vis, nisi canonica Scri-
ptura disciplina, nisi Patrum sensus atq; consensus,
nisi debitum fidei apud fratres testimonium, ac de-
mum nisi expectata in celo salus, & proposita sine-
ris confessoribus beatitudo. Quod si propter eius-
cemodi confessionem contemnor, si oppugnor, si tra-
ducor, singularem agnosco, & predico gratiam tu-
am Deus, qui partim velis me propter iustitiam
pati, quod certe beatorum est, partim nolis mihi
beneuolos esse illos (quod in magni lucri parte ponē-
dum est) qui tibi amici esse non possunt, cum Ecclē-
sia tua, & Veritati Catholica palam aduersentur:
sed ignosce illis Pater, ignosce, quia vel nesciunt,
vel scire nolunt quæ faciant, partim cetri Satana
impetio incitant, partim falsæ doctrinæ prestigis
impellunt. Hanc vero gratiam mihi perpetuo ser-
ues oro, ut quam tibi, quam Ecclesie, quam verita-

ti sinceram constantiam, & constantem sinceritatem deo, eam tum viuens, tum moriens testatam facere non desistam, neque a caritate tua unquam excidam, particeps vimirum omnium timentium te, & custodientium mandata tua in sancta Romana Ecclesia. Cuius demum iudicio me, scriptaque omnia mea, ut libenter, ita reuerenter etiam subiicio. Tuam porro immensam bonitatem pro me collaudent, atque deprecantur sancti omnes, siue quos in celo triumphans, siue quos militans in terris Ecclesia uno, & indissolubili Catholica pacis vinculo firmissimè coniungit, atque comprehendit. Tu es principium & fines mihi bonorum omnium: Tibi ex me, per me, & de me sit laus, honor, & gloria sempiterna.

Hac accepta disputationum Canisij præclara specie, placuit omnibus ut ad ea, quæ restabant perficienda gradum faceret. Sumpserat autem sibi præcipuas tres noui testamenti personas, Præcursores Domini Ioannem, sanctissimam eiusdem Parentem Mariam, & Apostolorum Principem Petrum ornandas, & aduersus hæreticos defendendas. Ceterum, quia Prouincialis Hoffæus scripserat, nisi Pontifex iniiceret frenos, iuberetque lentius,

lentius, ac per otium pergere, religione illum, & scrupulis macerari, ne non satis ad obediendum diligens esset, nisi studium supra vires contenderet, admonitus est à Borgia, ut interpellaret scribendi laborem interserendis concionibus. Igitur Oenipontum à Prouinciali mittitur, ut apud Archiducem Ferdinandum Ecclesiastem ordinarium agat. Multæ famulo Christi offerebant se se *Esse fortis.* difficultates in eo munere. Haud enim dubiè geminabatur potius labor, quam leuabatur. Quippe dicendum erat non ad vulgus ac multitudinē, sed ad selectam, & ut ingenium Aulicorum est, fastidiosam concionem : nec dicendum pro voluntate cum animus, atque otium ferret, sed necessitati seruiendum fixa, staturaque die. Ad hæc, ut in oppido sede Principis, aulæque sat celebri multum necesse erat in dies subnasci occupationum in omni genere, molestarumque interpellationum, quas vitare non esset. Deinde nec librèrū, nec hominum Doctorum, qui consuli in loco possent, quæ præsto erat Dilingæ, suppetebat copia Oeniponti. Denique valetudinem sibi in his montibus minus propitiā expertus erat. Hæc, atque alia succurrebant, quare videretur de obedi-

entia summò iure remittendum, & significan-
 dum Borgiæ, dum leuatum sibi laborem, & con-
 seruata valetudinem cupit, videret, ne tali via,
 cum res ita se se haberent, id quod agebat, parum
 assequeretur. Sed vir solidæ, profundæque obe-
 dientia negligenda sibi illa duxit omnia, & eun-
 dum, conandum, Deo fidendum. Quippe qui
 non frustra, & ad probum suum didicerat viro-
 rum sapientum, sanctorumque sententiam: eti-
 am si quid, quod superare vires videatur, impera-
 tum sit, conandum esse: quod statuere an fieri
 possit ad subiectum non spectet. Abint ergo, &
 posteaquam cuncta usu non paruo compererat,
 simpliciter vt conscientiam suam leuaret, cum
 iam in Hispaniam Borgia iussu Pontificis abiisset,
 ea Natali Vicario explicauit, sed ita vt nulla habi-
 ta ratione sui libenter se profiteretur in seruiturū
 Archiduci quamdiu suppetere vires per Dei gra-
 tiam: in iisq; moribus obedientia duce, non pa-
 ratum esse: tantum se indicare difficultates, quæ ad
 molestissimā cum aduersariis pugna se accingen-
 ti, quæ sola totū hominē postulare videtur, offe-
 runtur: vt Natalis pro sapientia sua de oībus sen-
 tentiam ferat, vtq; purgatū ipsum habeat apud Ro-
 manos,

manos, si fortasse Pars secunda de Maria Deipara
tardè in lucem prodeat. Tantū tribuit obediē-
tiæ Viri Natalis, vt, cum ea statio eiusmodi personā
requireret, nihil mutandū censeret: id modo fa-
tis habuit monere, & adhortari, vt sancta medio-
critate temperaret labores. Nec verbum Canisius
posthæc adiecit, nisi longo post tempore nescio
quid Euerardo Generali quā leuissimè indicauit.

Plurimum Archiduci, Aulæq; probabantur
sacri Oratoris actiones, & addidit ingens momē-
tum ad rem animarū bene gerēdam inter confi-
nia occidentis, & oriētis anni calamitas publica.
Concussit .n. vehementer hoīm pectora ingens
post hoīm eo loci memoriam, & frequens terræ
motus, q̄ circa late per multa passuum millia diu
tenuit, haud sine tectorū strage. Eam ob rem, sup-
plicationes publicæ institutæ, ieiunia indicta, ad
Sacerdotū pedes accursum, collaudante, ac prædi-
cante Deum Canisio, qui sic terreret peccantes, &
ad pœnitentiam cōpelleret; oēsq; tanto molimi-
ne admoneret, vt in timore ei ac tremore seruirēt.
Hæsit O Eniponti in scribēdi, dicendiq; laboribus
annos totos septem nusquam pede moto nisi ad
Prouincialis Societatis conuentus, & semel, atq;
iterum

1572.

*Terræ motus
ingens Oenipo-
nti.*

1573.

*Magnifici Canisij a Grego-
rio XIII.*

iterum Pontificis iussu. Quippe anno 1573. Gregorius XIII. qui priore anno Pontifici Pio Quinto successerat, suscepta omni ope subleuanda Germania, perbenignè scripsit velle se desiderij sui adiutorem Canisium esse, cuius sciret quantum ad eam rem industria, & sapientia valeret: iussitq; literis complecti, quæ in eum usum idonea iudicaret. Iamq; bonam lucubrationem confecerat Pater, cum literis novis admonetur, ut ipsius Pontificis nomine certa madata perferat ad Ferdinandum Archiducem, ad Albertum Ducem Bauarum, ad Salisburgensem Archiepiscopum: adhuc Hæreticorum voluminum, quæ ad refutandum opportuna essent, bonum numerum comparet, mita-
 Et in Urbem venit.
 tumq; in Urbem, tum ipse met accedat. Coram enim melius de morbis earum regionum, curam-
 dique ratione, quam per Commentarium actum iri. Obiit igitur legatione per Germaniam, quæ iniuncta erat, ceterisq; perfunctus mandatis, primo vere Romam accessit. Hic inter cetera, quæ sapienter pro Germaniæ religione in medium contulit, auctor fuit Pontifici, ut Collegia, & Con-
 tubernia excitaret multæ Germanorum soboli in pietate, ac literis educandæ: vnde velut è semi-
 nariis:

*Quædæ Collegia Germani-
cum Roma
fundandum.*

*Et alia similia
in proxima.*

nariis docti, piiq; Sacerdotes, ac verbi diuini Prædicatores, & Pastores animarū educerentur. Censuit autem non Romæ tantum, sed in Germania quoq; contubernia illa excitari oportere: in quibus multi libentius, vtpote non tam procul domo, aliquanto etiam germanico mori congruentius, quam ipsa in Vrbe possent institui. Atque his maximè consiliis effectū est, vt tam luculentum Romæ Collegium Germanorum, tamque multa per septentrionem eiusmodi propugnacula vindex Religionis acerrimus Gregorius Pōtifex collocarit. Habita sunt eodem tempore sublato iam ex humanis Francisco Borgia Societatis Comitia Romæ ad sufficiendū Præpositum Generalem: suffectusq; est Euerardus Mercurianus. Quibus Comitiiis tametsi cum suffragij iure Canisius non interfuit, custodiæ tamē præfuit Conclauis, vbi sunt habita: quæ non nisi spectatæ fidei viris procuratio demandatur. Porro sancta in Vrbe, cum tam multa sint prisca sanctitatis monumenta, tam etiam & multa, & præclara exercendæ priuatim, ac publicè siue religionis, siue misericordiæ instituta, ac domicilia, in his adeundis, cognoscendisque studiosè versabatur Canisius.

*Comitiorum
societatis custodes
legitur.*

o

Nam

*Obferuat fan-
da & vtriusq;
opera.*

*Redit in Ger-
maniam.*

Nam quemadmodum Hæretici, quia vasta in Vrbe, & in omnium gentium quasi colluione necesse est aliquid inesse vitiosum, atque reprehendendum, ad id vnum oculos aduertunt, & inde indignissimè Romanorum mores omnes describunt, & lacerant; ita famulus Dei, quæ recta, quæque laudabilia essent, confectabatur, tum sui profectus causa, tum vt oculatus testis simpliciorum animos in Germania, calumniis hæreticorū præoccupatos dedoceret. O Eni pontum deinde reuersus Euangelici interpretis munus, & Mariani, quod instituerat operis conditionē repetiit, haud sine graui labore distrahens, atq; diuidens curas. Sed quando præsidibus ita placuerat ferebat vtramq; crucem libens, deq; manu Domini accipiebat omnia: illud modo sollicitus, vt perpetuas accessiones perfectæ virtuti adiungeret, indiesq; cumulatius religiosi viri officio responderet.

1574. Ad hunc modum, eodemq; tenore proximi
1575. anni quartus, quintusque supra septuagesimum
1576. acti, nec fermè aliter sextus: nisi quod per Augustum, altera, quam supra indicaui, Missione Pontificis, vt Ioanni Morono Apostolico Legato adesset, Ratisbonam concessit. Conuentus habebatur

tur

tur Imperij: nec Canisius siue priuatis sermonib⁹,
siue de loco superiore verba faciēs religionis pro-
uehendæ locum vllum omisit.

Iamq; constanter durans tot inter obturban- 1577.
tes, fatigantēsq; curas, agensq; semper ac moliens, Marianum u.
pau edit.
atq; vltra promouens aliquid, de Maria Virgine
incomparabili, & Dei genitrice sacrosancta præ-
clara monumenta elaborarat: quæ vel maximo,
& otiosissimo scriptori decora sint. Itaq; vbi pri-
mum finis conuentui impositus est, Ratisbona
Ingolstadium se recepit, editioni eorum coram
ipsumet præfuturus. Et quia prius de Ioanne Ba-
ptista opus in Archiducis Ferdinandi nomine c-
miserat, Marianum hoc Alberto Duci Bauariæ in
animi grati documentum, pro singulari caritate,
qua Princeps benignissimus Societatem totam
complectebatur, dedicauit. Absoluta est editio
ineunte æstate anni 1577. Ex qua quam nihil sibi
Canisius, nisi laborem assumpserit, vel ex eo faci-
le constat. Quippe cum aliquot librorum eorum Modestia, &
pauptat.
exempla mitteret Romam, satis habuit indicare
quarum habenda ratio personarum videretur in
iis distribuendis, integrum autem voluit esse Præ-
posito Generali, & tradere quibus mallet, & suo;

*Hicq de opere
Mariano audi-
tum.*

non auctoris nomine. Quorum cum accēpisset v-
num Cardinalis Varmiensis, inter cetera de eo sic
scripsit. Nec obliuiscetur operis huius tui tā san-
cti Virgo sanctissima, quam sic ornare scriptis tu-
is es conatus, vt vix quisquam sit, à quo magis su-
erit illustrata. Mihi quidem tam exactè scripta vi-
dētur omnia, vt quid in hoc opere desiderari pos-
sit non videam. Vix expeditum Calchographiæ
operoso negotio Prouincialis Hoffæus ad lustrā-
dam secum prouinciam circumduxit consiliorū
socium, & adiutorem: in eoq; discursu, ac mune-
re reliquum anni præsentis, & proximum pene
totum absumpsit.

1578. Prouincialis non eo solum, vt consilio eius,
1579. & opera iuuaretur, socium sibi illum assumpse-
rat, sed etiam, vt penitus à grauiorum scriptionū
cogitatione auerteret, potissimum quidē, quod
nimium fatigari, haud sine graui periculo, ætate
iam ingrauescente, Patrem opinabatur in eius-
modi studiis; sed partim etiam quod in abundan-
tia magna rerum agendarum, & inopia corū qui
agerent, ad manum habere expeditum, ac prom-
ptum cupiebat subsidium: cum ille vnus instar
multorum esset, quem ad omnes, maximeque ad
subita.

subitarios, ac maioris momenti vsus proferre tuto, & libere posset. Egit ergò cum apud Præpositum Euerardum, vt senescenti iam militi bonam ab eo præliorum genere missionem daret: tum apud ipsum Canisium, vt peteret. Qui cum rem ^{Indifferentia, & Obedientia præclara.} eo temperamento significasset, vt nec Prouincialis negligere, nec Generalis præuerrere, & impedire nutus videretur, iussus ab Euerardo certius explanare, quid sui animi, ac sententiæ esset, in hæc verba rescripsit. Quoniam Pio Quinto, & Gregorio XIII. Pontifici Maximo ita visum erat, vt contra Hæreticos scriberet, Dei gratia, & obedientia duce perfecisse, quæ ad Præcursores, & Matrem Dei, Dominiq; nostri aduersus Hæreticos vindicandam pertinent. Interim animum sibi, ac propensionem auxisse Christum pugnandi contra tot bestias, cum videret Hæreticorum fœdos errores in illustrissimas Euangelij personas incurrere, & plurimis passim obesse, à paucis autem satis obseruari, & ne attingi quidem; cum tamen magni referat Sectariorum insignem impietatem cum ipsa Euangelij luce pignantem magis, ac magis detegi, & refutari. Quid autem imbecillis ipse, & exiguus in eo profecerit argumento lectorum iudi-

cij esse. Aduersarios certè tot modis hætenus impetitos suo silentio satis ostendere se non habere, quod respondeant. Proinde cum Pontificis Maximi mādato consentaneum, & Præpositi ipsius voluntati gratum esse duceret, vt ceceptum scribendi cursum prosequeretur, minimè abhorrentem ab eo animum nuper significasse, & Præpositū sibi ipsum dedisse, vt Ingolstadtum peteret, velut iis studiis aptiorem sedem. At ex altera parte cum Prouincialis non modò adeundi Ingolstadtij consilium, sed & vniuersum scribendi institutum omitti posse iudicet, ita se cogitare cœpisse. Quoniam Præpositi tui iudicium, & volūtas pro lege spectari, ac suscipi debet, scribendi curam omnem abiice, & ad alia professionis tuæ te totum compone. Cum Pontifice Maximo res facile transigetur, vt sinat in hac ætate quiescere Canisium: præsertim cum præter P. Turrianum contra Hæreticos strenuè laborantem, plures alij scriptores longe doctiores facile inueniri possint. Itaque libenter, inquit, in Patris nostri, & aliorum sententia conquiescam, vt deinceps reliquam ætatem in religiosa simplicitate, & simplici obedientia tranquille consumam, vbicunque demum me viuere,

viuere, & quicquid vel agere, vel sustinere voluerint superiores: horum iudicio magis, quam meis, vel desiderijs, vel propensionibus credam. Certedum ita sentiet Prouincialis, ad scribendum redire non cupio, & fortasse bona conscientia non debeo: vt autem in Prouinciam aliam quacunque de causa transferar, nec petui hactenus, nec petam vnquam, quod perfectam obedientiae rationem nolim à me vilo pacto violari, aut superioribus esse molestus in hac parte. Domino fortasse visum est me iam natum annos 56. molnere, vt colligam, quod aiunt, sarcinas, & ex Martha fiam Magdalena, meaq; disponā domui priusquam ex hoc sit hospitio emigrandum. Quicquid autem Paternitas Tua de tota causa decreuerit, id oraculi loco accipiam, eiusq; iudicio me ex animo paritutum promitto, Dei gratia opitulante.

His literis acceptis Euerardus existimauit e re magis publica esse, vt omnis ei sollicitudo Pontificij mandati demeretur. Adit ergo Gregorium, & per occasionem, cum ei volumen de B. Virgine offerret, injecto sermone de valetudine, deq; a tate Canisij, iamque a ratione bona dignum videri:

Pon.

*Liberatur scriba
bonis moribus.*

Pontifex accepto libenter volumine, etiam libenter vt Pater indulgentissimus vacationem dedit. Quare cognita Canisius plurimum se, & Pontifici, & Euerardo debere professus, totum se ex arbitrio Prouincialis suspendit, Christum Dominum rogans, vt collatum in indignum se beneficium rite intelligeret, & fructum ex eo sibi, aliisque congruentem legitimè colligeret, quicquid demum sibi laboris, & oneris demandetur, nullum post hæc verbum de mutanda conditione commutaturus. Amisimus per hæc haud dubiè grauissimas de Petro disputationes, vnde omnium hæresum vno quasi ictu iugulum petebatur, Romanę Ecclesię primatu constabilito. Ceterum obedientia hæc (cum quidem iam inde à principio rep-
 tiam sibi illam destinasset concertationem, & multa ad eam præclara obseruasset, excogitasset, seposuisset, & iam fama operis egressa expectationem omnium excitasset) videtur mihi monumentum, quodcumque stylo cedere potuisset, admirabilius. Nec aliter iudicabunt opinor, qui norunt quam difficile sit conceptum tenere sermonem: quiq; tanto sapientia illa inferiores per obstantia omnia ad editiones nituntur, damnum publi-

Ob obedientia ex-
 collens.

publicum rati, si modesti sint. Expeditus ea quasi
 muta declamatione, mortuoq; magisterio obe-
 diens Doctor ad vocalem pugnam, viuaq; do-
 ctrinā accingitur. Ieiunij Magni tempore Gui-
 lielmo Duis Alberti filio Principi Landeshutæ à
 sacris concionibus fuit annis duobus continuis.
 Quo tempore cum alia effecit apud Principem,
 tum vt aulicos quosdam ad officium reuocaret,
 vtq; nouas, & amplas indulgentias vni, alterique
 Bauariæ Templo, Oettingensi, opinor, & Don-
 renhausiano quæ religionis gratia peregrini ceta-
 brant, impetraret; tum vt libros salutares sua co-
 emptos pecuniâ passim inter populum sparger-
 ret. Turcam etiam quendam Catechismo infor-
 matum præclara cæremonia sacris aquis admo-
 uit, magno totius populi motu ob splendorem,
 ac Maiestatem sacrorum rituum, & adiunctas
 Indulgentias, quas ipse Canisius & impetrarat à
 Nuntio Apostolico, & magnificè promulgarat.
 Libenter autem apud talem virum, ac Principem
 ungebatur eomunere legatus Christi, quod in fi-
 gnem ille præ se ad pietatis cultum propensionem
 ferret, in visendis, & consolandis ægrotis sedulis
 (verba Canisij sunt) in aula sua bene constituen-
 da se-

*Concionatus
 Guilielmo
 Principi Ba-
 uaræ.*

*Lam Gui-
 lielmi.*

da serius, ad cultum diuinum domi, publiceque celebrandum vehementer intentus, & qui sibi, & Vxoribus, & Aulicis seuorum ieiunium Quadragesima tota indiceret, seruaretque, nunquam cuiquam nisi Dominico die præbira cœna.

Obediencia
seruata, & fana
plena.

Inter hæc vnum fuit molestum tractatu negotium; sed pro eius grauitate (maius enim requàm specierat) & obediencia Canisij prætermitti non potuit. Præ nobili, ac pio Dynastæ à confessionibus erat Sacerdos de societate animorum tractandorum beneperitus; sed qui frequentior esset in Aula, quam disciplinæ domesticæ, institutisque ordinis conueniret, Eam ob rem tentauerant Patres, si possent hominem ab eomunere, locoque euocatum Romam abstrahere, nec quicquam erat profectum, nisi vt grauitè Princeps offenderetur. Causa igitur vel transigenda, vel mitiganda permissa est à Præposito Generali & Prouinciali Hoffæo auctoritatì, prudentiæque Canisij. Dolebat Princeps bonum, gratumque sibi confessarium tam subito in urbem euocari, & tãquam male gèsto munere deformari. Proferri iubebat siquid subesset fraudis: sin autem nihil explicaretur, aiebat, nihil sibi restare aliud, dum videret

videretur merentem hominem tam dure tractari quam ut culpam in odium, & inuidiam domesticorum conferret. Tum Canisius grauem, ac sapientem disputationem ingressus, palam ostendit, quam nihil bonæ frugis Aulæ vsus tantus. Cofellano ipsi, nec socio, nec aulicis, nec aliorum denique cuiquam afferret. De veneratione, & obseruantia, quæ sacris viris debetur, Aulicos multum remittere: mortales alios ex quibus, tam multos societati Saran æmulos, & obrectatores ubique conciliet, existimare nos Magnatum affectatores, & negotiorum publicorum captatores esse: ipsos quoque sapientes offendi, quod ne quicquam tandiu foueri hominem, delicateque ali, ac subinde venanti etiam Principi adesse pateremur: ipsum verò, & socium paulatim degenerare ab religiosa professione in aulicam. Denique rem cum societatis more, legibusque pugnare. Itaque id exempli aditum non nullis ad licentiam pandere, ut cogitent aliquando sibi quoque permitti posse, ut religiosam disciplinam cum delictis Aulæ commutent: aliis indignationem aduersus homines tales accendere, unde mutua caritas laederetur. Scire se Principem toti societati

Aula Religiosa viros non decet.

optimè velle; quare pro sua clementia providen-
dum esse, ne communicius, bono priuatam ho-
minis causam anteferet. Tentari perniciosius ni-
hil posse in Religiosorum familiis, quam vt obe-
dientia, & Præsidum administratio conuelleretur. Hæc vincula, hos neruos sacrarum esse hu-
iusmodi rerum publicarum, qui si laxarentur, dis-
solui totum corpus, & membra dissipari necesse
esse. Ordinis ergo sibi addictissimi patrocini-
um susciperet, ac Præsidum tueretur auctoritatem.
Frustra ipsos Principes, nisi conferuetur familiaris
disciplina in Cœnobiis, vtilis inde operarios de-
sideraturos. Fideret Præpositis, persuaderetq; sibi
nihil ipsos malle, quàm tanto Patrono in omnes
partes factum satis; nec quenquam clarius, quam
ipsum habere notam cuiusque sociorum, specta-
tamq; facultatem; nec nisi virum quàm accom-
modatissimum ipsius obsequiis tradituros. Hanc
esse viam rectam conscientiae regendæ: alioqui
Principis ipsius dignitatem agi, velut ex Iesuitæ
vnius consilio se, suosque regat, & statuatur omnia.
Ad extremum grauem hanc molestiam Præposi-
to Generali adimeret, quæ intolerabilis mox fu-
tura esset, si videre cogeretur vnumquëpiam de
suis

his bonitate, gratiaque Principis ad professionis
sue neglectum, & ad contumaciae integumentū
abuti. Hæc omnia permiscens cum grauitate
modestiam, summamque obseruantiam, ac ve-
recundiam tum simplicior libertate sic egit, vt sa-
piens Princeps disputationem omnem probarit,
se sequæ societati placarit: tum demum permise-
rit, egeritque, vt Confessarius in Collegio versare-
tur ex norma communi. Illud quoque extitit ex
eo conatu pretium, quod cum initio Dynasta idē
viros ex Aula præstantes ad Canisium allegasset,
qui eius animum expugnarent, & ad factore Cō-
fessarij detorquerent, ipse contra eos facile ad suas
partes adduxit. Adeo vt ipsimet plane Domino
demonstrarint id vigere Patres, quod instituto,
ordinique suo, quod probabili ad vulgus exem-
plo planè necessarium foret, vt ab Aulis procul
abessent, & aduocati referrent illico pedem, ne al-
ioquin naufragium Spiritus multo citius ipsi fa-
cerent, quam aulicos Christo piscarentur: quod
manifestis multorum documentis videre esset.
Valuerūt hæc veritatis testimonia eo magis, quo
sinceriora visa sunt; vt ab hominibus profecta
Aulæ assuetis, morumque seculi callide peritis.

*Aulas quam
Canisius su-
geret.*

Multa autem, dum hoc tractat, perpicienda indigna, exhaurienda ac erba fuisse: quæ suscepit ille, & exhaustit eo animo, ut existimaret causam agi, communem societatis totius, atque eiusmodi, pro qua recte caput ipsum in discrimen daretur. Vix enim dici potest, Vir sapientissimus quam ab Aulis perniciem nostro Ordini formidaret. Itaque ad Præpositum Euerardum multa sæpe in hanc sententiam grauit, & illa præ ceteris scripsit. Res ipsa docuit, & confirmauit meam iam antè conceptam sententiam, nimisum valde cauendum hoc esse nouum tentationis genus, quod nostris hominibus magis, magisque paratur ob his, qui cum societatis Patroni, & amici videri volunt, quosdam è nostris in suas familias, & aulas deducere, & nescio ad quam seruitutem tacite rodigere, ipsisque delinitis, & inescatis paulatim imperare velle videntur. At re vera, ut breuiter dicam, si nostri paulò diutius apud seculares istos, aulicosque versentur, ut nunc res nobilium apud Germanos potissimum comparatæ sunt, plus in seipsis detrimenti, quam in aliis spiritualis commodi experientur: & vix effugient, quin vel inuiti subinde peccatis communicent alienis in hac communi homi-

*De Velle à So-
cietate Vitar.*

hominum licentia, corruptaque nobilium disciplina. Quapropter etiam, atque etiam Paternitatem tuam rogo, ne se facile istorum magnatum precibus permoueri sinat, qui nostros secum in aula versari flagitant, ac istiusmodi missiones in se longiores expectunt. Omitto in quæ fastidia, & pericula nostri incidant, cum se istorum ingeniis utrumque accommodare coguntur, ita ut nec sibi, nec alius pro ratione suæ vocationis seruire, ac prodesse possint. Loquor autem de Germanorum nostrorum receptis moribus, a quibus nostros, quoad eius fieri potest, abesse consultiissimū puto. Sub hæc locus incidit, quo sua de fugiendis Aulis dicta Canisius affirmare et ipsis rebus, planiusque fateretur nihilo se validius verbo, quam exemplo esse doctorem. Albertus Comes de Furstenbergio ex Eucardo Præposito impetrarat, ut aliquis ad se de societate confessarius in tempus aliquod mitteretur. Nam & ipse a pretiis non abhorrebat studiis, & coniugem habebat admodum piam, assuetamque Pragæ Imperatricis in Aula frequentis confessioni, sic ut difficillime careret magistro conscientie, qui ad manum quotidie præsto esset. Quarum rerum gnarus Prouincialis

*Mittitur ad
Comitem de
Furstenberg.*

Hoffæus,

Hoffæus, ad quem delectum mittendi Sacrodotis Euerardus reiecerat, veritus ne is, quem mitteret, nimis diu retineretur, & paulatim ipse quoq; sic adhæresceret, vt perægrè abstrahi posset, Canisiū mittendum putauit. Abiit igitur paulo post dimidiatum septembrem anni 1579. Accidit supra vota Comitibus viri talis aduentus. Ille Comes ambos virum, & vxorē, diuinis mysteriis familiā eorum, aliosq; complures procurauit: eosdemq; ac populum doctrina salutis instituit: multa priuatim, ac publicè ad pietatem vel correxit, vel addidit, gratus in dies magis, ac fructuosus. Quo grauius certamen exarsit, vbi mentio facta est remigrationis. Ceterum quia agendum cum viro fuit, qui nullam adprehendendum dabat ansam, & quicquid collegerat autoritatis, & gratiæ id omne conferebat eo, vt cum bona pace mitteretur, abscondi veniam demum vel elicit, vel expressit. Cogitabat enim Generalis Congregationis decreto esse parendum, quæ diutinas id genus commorationes vetat: deinde prouidendum ne moræ longioris exemplum societatis rebus apud alios Magnates officeret. Quam rem vbi cognouit Præpositus Euerardus, ita probauit, vt Canisio

gratu-

*Explicat se ab
Aula.*

gratulatus his verbis sit. Gaudeo, & gratulor quod Reuerentia Vestra Comitissæ Curia expedita ad nostros maturè redierit, viceritq; omnes eorum, quæ illam retinere conabantur, preces. Quo animo si essent omnes nostri, qui aulas frequentant, non tantum nobis molestiæ aliquando afferrent, & certè cum ipsis etiam Principibus nullum nobis, aut exiguum esset negotium. Quare quod Reuerentia vestra valdè nos hortatur, vt quam maximè Aulas à societate propulsemus, equidem puto hoc me affirmare posse, nemini me concedere, vt id ardentius ex animo exoptet.

*Laudatur ab
Euerardo Pra-
posito Generali.*

• Annum insequentem seculi octogesimum partim adiutor Prouinciali, partim etiam Vicarius egit, cum Hoffæus adulto iam vere in Heluetiam abiisset. Deinde cum Gregorius Pontifex Brixienſi Episcopo Delphino, quem ad Conuentum Norimbergæ instantem mittebat, Theologum de Societate iussisset adiungi, ipse Canonicus ex Episcopi delectu destinatus est. Sed conuētū illodilato primum, mox alio translato, pro Norimberga Friburgum in Heluetiam extremū sub annum petiit, vbi demum finem peregrinandi fecit. Hæc pars vltima, & quasi supremus actus

1580.

*Friburgum
Helueticorum
mittitur.*

q

Vitæ

Vitæ Canisij fuit. Annos cōtinuos septemdecim (totidem.n.ex hoc anno super fuit) hēsit Friburgi procul à strepitu curarū publicarū in sanctæ obediētiæ placido sinu, meditationeque, & imitatione vitæ cælestis ex Martha, vt cupiebat, Magdalena factus. Quanquam nec ipse deposuit vnam Christianæ rei tuendæ curam: & ex illo borealium terrarū vertice cum lucubrationes identidem emissæ, tum egressa sanctitatis fama longè lateq; venerandam reddebant viri senectam, & publice salutarem. Adeūdi Friburgi causa ea fuit: Ioannes Franciscus Bonhomius Vercellensis Antistes singulari pietate vir, studioq; religionis flagrans in paucis (sancti Caroli Borromæi familiarem agnosceres) dum Nuntius Pontificius multa obit Germaniæ loca, & Heluetios præcipua visit cura, religionem Friburgi animaduertit in vltimum venisse discrimen, circumseffam vndique & oppugnatam ab Hæreticis maxime Calvinianis. Dumque circumspicit remedia præsentibus, præsidia imminentibus malis, opportunius nullum, quam Collegium de Societate ratus, id primo quoq; tempore inducendum tam enixe suscepit, vt Pontifex studio eius tanto permotus, suscipi

Francisci Bonhomij Virtus.

cipi extemplo rem ab Societate pro imperio iusserit. Quam agi rem simul emanauit in vulgus Eriburgi, ac celeriter fama ad proximos quoque Hæreticos distulit, tū qui in Ciuitate clanculum fouebant nouas superstitiones, tum quidam per calumnias, & obtrectiones fraudulenter inducti, tum Hæretici confines reclamare, obluſtari, lapidē mouere omnem, omnia obmoliri, ne Iesuitis nobilem in eam Rem publicā receptus daretur. Perſtrepunt ergo cūcta sermonibus aduersus nos ceterum is. Quæ vnquam, quæ vsquam maligne extogitata, doloseq; edita calumniae, & probrorum portenta fuerant, excitantur, asperantur, protrahuntur in medium, & alia progignuntur de nouo. Deniq; impigre Satan, eiusque satellites pro suo dimicant Regno, haud quaquā dissimulantes, quam nostrum accessum opibus suis commodum parum ducerent. Igitur ad hæc amolenda impedimenta, vtq; sedatis cum senatus, tum populi animis iter sequuturis mox focis molliter sterneretur, opportuna visa est auctoritas, sanctitasq; Canisij: cuius tamen ætas sexagenaria, & attrita laboribus videbatur requirere potius in frequenti quopiam sociorum conuentu

*Calumnia sed
citata apud
Eriburgenses.*

*Militum Christi
si militia per-
petua.*

*Hæreticorum
in Bonhomium,
& Canisium
petulantia.*

*Bonhomij de
Canisio testi-
monium.*

*Friburgensium
in eundem ca-
ritas.*

requietem, quam vt cum vno duntaxat comite mitteretur in incertum, ad nouas aliis inter obstantia sedes parandas. Verum tamen Christi militibus non ante vitam stipendia finiuntur: cum consummauerint tunc incipient. Sola mors missiōem dat eis. Vnica sedes emeritorum est cælum. Ipsemet deducendum Dei famulum Bonhomius sumpsit. Dum autem Berna oppido Hæretico transeunt, procax Hæreticorum turba pro Catholicis agnitos contumeliosè accepit: qui & per ludibrium in Ocreas Canisij niuem iniecere. Hoc illi auctiores vera gloria Friburgum attingerunt. Hic Bonhomius Canisium Senatui sistit, impenseque commendat: inter cetera Virum ad eos se duxisse commemorans planè dignum, quē instar pretiosæ ac sacræ rei haberent, asseruarentque. Haud sanè aliter excepit venerabilem senē, posteaque semper tractauit Senatus, & vniuersa Respublica Friburgensis. Magnificit eam benignitatem, & dilexit Canisius. Itaq; ipsius ac Friburgensium continuo mirè conciliantur inuicē animi, adeoque deuinciuntur, vt ad extremum vique pulchro, iucundoque certamine mutuis semper officiis, caritate, obseruantia, prædicatione con-

contenderint. Persuasit ante omnia eis Canisius, uti liberos suos ab Hæreticorum gymnasiis reuocarent, nec posthac ad ea mitti paterentur, in quibus non tam literas, quam peruiaciam, & impietatem edicerent. Protinus in principe templo conciones sacras exorsus est, & proximis octo continuauit annis. Quo ex loco publicum quasi spectaculum proponens sapientiæ, modestiæque Christianæ, haud magno negotio ad optima quæuis religioso per se se, bonoq; ingenio populū commouebat. Ita præparatis ciuium animis adfuit anno vertente societatis per Germaniam Visitator Oliucius Manaræus, deq; Collegij condendi ratione cum Senatu transegit, DEO mire propitio, & fauente cœptis.

*Concionatur:
et Collegij res
adornat.*

Anno proximo, qui seculi alter, & octogessimus erat, Collegium inchoatum scholis literarū publicatis per autumnū, lætissima Ciuitate. Tum Canisius ubi victis demū difficultatibus primis iustam familiam adesse vidit, supplex à Præposito Generali (Claudi⁹ Aquauiuua is erat Euerardi successor) contendit, uti se præfecturæ munere liberaret. Optimus senex ad id vnum excusatione, ac beneficio utebatur ætatis, ut subiectus omnibus,

1581.

1582.

Humilitas eius

ab aliendo totus nutu penderet. Cui Claudius in hæc verba rescripsit. Spero iam aduenisse, qui Reuerentiam Vestrâ ista gubernationis cura, de qua dudum dolebat, allevaret: ut iam se totam proximorum salutem promouendæ possit impendere. Quam ad rem confido sanè non solum talenta, quæ à Deo accepit, verum etiam opinionem, & auctoritatem, quam per eiusdem gratiam in Civitate ista, ut audiui, hoc toto tempore sibi comparavit, plurimo ei adiumento fore. Hæc scripsit de eius auctoritate Claudius: quoniam auxerat viri præsentia existimationem, & ad aurium fidem experimentum accesserat oculorum. Ut quemadmodum Sammaritani olim in Christo Domino, similiter in famulo Friburgenses possent profiteri eius se auctoritati multum tribuere, non iam propter alienam testificationem, sed propter perspecta sibi, & cognita merita. Et Canisius illa veteris animorum inclinatione ad ipsorummet æternas commoditates, quo acrius furebant circumpositi corruptores, hoc magis ad intercludendos iis aditus vigil, effecit, ut cuncta Respublica in fidei Catholicæ professionem iuraret, ingenti civium consensione, dicto apud Magistratum sacramen-

to.

*Auctoritas
apud Fribur-
genses*

to. Idemq; iusiurādum in omnibus ditionis eius
Parœciis, quæ octoginta numerabātur, exactum,
ac præstitum est.

Anno 1583. cum sanctus Cardinalis Borro- 1583.
maus accepisset à Pontifice Helueticas oras præ- *S. Cardinalis
Borromæus
cum magno
facit.*
cipua cura tuendas, vehementer lætatus est Opti-
mus Præsul satis iam pridem sibi notum adesse
Friburgi Canisium: scripsitq; ad eum rogans, vt
quæ ex vsu procurationis eius fore censeret, pro
sapientia sua, & caritate significaret: cupereq; se
cum eo sæpius de negotiis regionū illarum, quæ
spiritualem ædificationē (sic enim loquebatur)
continerent, per literas agere. Cui vicissim Cani-
sius consulto Præposito Generali, quod in se esset
opis sponndit; & quædam etiam, quæ consilio
cum aliis Patribus habito, visa erant, (vt nūquam
vni sibi credebat) sancto Cardinali significauit.
Ita veteri suo more non præsentibus modò, sed & *Scriptum est R. A.
publica & So-
cietatem unan.*
absentibus consulebat. Tempore eodem in Vr-
bem misit commētarium nouum, (multa enim
talia sæpe ante miserat) de ratione religionis in
Germania subleuanda. Multa etiam ad Genera-
lem Præpositum de Societatis curando profectu,
quod ille postulauerat, scripsit: in quibus dū per-
fectam

*Caritas eius in
adversarios.*

sectam Euangelici operarij formam ex institutis nostris exequitur; se ipse nobis nec sentiēse expressum reliquit. Deplorabat interim successum Calvinianæ pestis omnibus circa locis: nec solum inductos in fraudem simplices, sed ipsos etiam corruptores, ac circūscriptores miserabatur. Et quoniam inter omnes eminebat Antonij Sadeclisa-stuta procacia, quem electum sane Organum Sathanæ vocat: pro eo nominatim cupiebat à Societate preces fieri, quod eam siue sciens ille, siue nesciens petulantissime incesset.

1585.

Annum iam quintum agebat Friburgi Evangelistæ operi, & aliis intentus de more animarum remedijs, cum Prouincialis Georgius Baderus eo profectus tentare cœpit, si quò auocare communem Patrem posset, vbi plus aliquanto opportunitatis ad studiorum solatia, & aliquod etiam debitum ætati, virtutique laxamentum suppeteret. Quod simul atq; suboluit Friburgensibus, pene precibus armatis ne id fieret, yrserunt. Omnium vna ratio fuit, Senatum, ac Populum Friburgensem, nihiloq; minus Ecclesiasticos grauissimè offensum iri, quod omnes & propter sanctitatis estimationem, & nominis celebritatem secundum Deum

*Friburgensium
in eum Car-
itas, & Vene-
ratio.*

Deum tutissimum Reipublicæ præsidium, & ornamentum in eo constitutum haberent. Ad eò ut & coram Catholicis, & corā Hæreticis decius præsentia aperte gloriarentur. Abstitit ergo Provincialis incepto, mandavitq; ut magna valetudinis eius cura haberetur. Sed bonus Pater, inquit, sibi nimis durus est, nec facile acquiescit in eiusmodi rebus ob nescio quos scrupulos. Scrupuli (quantum coniecturam aperit tenor vitæ totius) erāt necubi communis seueritatis expers haberetur: neu quid priuatim indulgeretur sibi. Ut n. humana procliuitas coercenda in multis est, ne ultra desideria naturæ excedat; ita erat in Canisio stimulanda virtus, ne citra necessitatem plus æquo consisteret. Mansit igitur in eadem statione viuendo semper animo, & laborum auido, & inexplebili. quamuis grauior in dies cum ætate fieret valetudo: nec abstitit ab ordinario dicendi munere ante annum seculi eius octogesimum octauum, cum iam vox, viresq; defecissent.

Austerum nimium sibi.

Sed & stylum tum maxime hortatu Patrum ad leuionis operæ lucubrationes resumpsit, præsertim ut limaret, edideretq; tot annis habitas tanto cum pietatis incremento conciones. Maluit
r ille

*Scribit Notae
in Evangelia
Missarum per
totum annum.*

ille novum ex earum succo opus conderet, idque
tine, quo latius permaneret utilitas. Itaque aiebat
quod iam vires minimè suppetere ad consi-
dandum, scriptitare aliquid, quod non nullis co-
cionaturis ad Dei gloriam commodaret. Egregia
sanè, versatuque dignissima confecit volumina
duo, quorū altero in Evangelicas lectiones, quae
per totum annum Dominicis diebus; altero, quae
sanctorum feriis recitantur, notas seu meditatio-
nes explicuit, doctas enim uerò ac pias. Et quoni-
am nihil est divini verbi meditatione ad propriū
cuiusque, & alienum profectum accommodati-
us, & cum meditatione, itemque cum prædicatione
coniungendae sunt preces: ut & poscamus à
Deo, & poscere populum doceamus, quae oportet,
distinxit in capita ad meditandum per opposi-
tuna notas, & subiecit miro pietatis ingenio per-
appositas cuique meditationi, inprimisq; notabi-
les preces. Harum Meditationum alteram par-
tem seculi anno primo & nonagesimo edidit, bi-
ennioque post alteram: & illam Clero Friburgen-
si, hanc Senatui dedicavit. Alios præterea duos
præclari usus libellos, Exercitamenta Christianae
pietatis, & Manuale Catholicorum emisit. Ad
hæc

*De alia opus-
culo.*

Es Epistolae ad
Collegia ab his
condita.

tantid genus literæ, ac nominatim ad Pragenſes, ad Monachienſes, ad Oenipontanos Collegas; quarum huc partem non alienum erit adſcribere, vt ſanctiſſimi ac ſapientiſſimi Patris ſupremæ voces vndiq; perſonent Poſteriorum aures.

Ad Pragenſes.

Et Pragenſes quidem præclare admonet non modo vt Auſtriacis Collegij Autoribus, ſed etiam vt Diuiſ Tutelaribus Ciuitatis grati ſint, vt qui ſint omni exceptione maiores ex cælo Patroni, & amici: & quorum potentibus, fidisq; ſuffragiis ſtare ad id loci, atq; durare eorum res certiſſimum ipſe habebat. Quare gratioſa, inquit, & frequens apud vos memoria vigeat Diui Adalberti primi apud Boemos Apoſtoli, Diui VVenceslai Principis, ac Martyris, Diui Clementis Patroni veſtri Apoſtoli, Diui Sigismundi Regis Burgundici, & aliorum quoq; ſanctorum, quorum nomina, & merita, vt ſane iuſtum eſt, in Pragenſi Eccleſia tot ſeculis celebrantur, & quorum efficaci interceſſione multa vobis, veſtrisq; conatibus diuinæ gratiæ munera, mihi credite, ſubinde communicantur. Poſtremo etiam, atq; etiam rogo, vt quotquot apud D. Clementem habitatis, vocationis veſtræ memores, concreditam vobis Vincam Boëmicā
magni

magnificiatis, vestramque messem illustri loco
Pragæ sitam indefesso studio pergatis excolere
Christo auxiliante. Vita sit vobis irreprehensibi-
lis, in qua præclarum luceat specimen sanctæ pau-
pertatis, perpetuæ continentiæ, obedienciæq; re-
ligiosæ. Peculiariter autem patientiam, & carita-
tem vestram non Catholici modo, sed etiam Ca-
tholicorum hostes, falsique fratres re ipsa compe-
riant, nomen IESV videlicet, per vos magis, ma-
gisque glorificari. Etenim non solum ad docen-
dum, & concionandum, sed etiam ad crucem fe-
rendam, & ad benè merendum de omnibus vos
istuc vocatos, ac missos esse nunquam non me-
minisse debetis. Vigeat igitur in omnibus ille,
quem P. N. Ignatius in primis postulat, vigeat, in-
quam, Zelus feruens animarum, quo præditi ea,
quæ Christus sūt, sinceris procuretis animis: in hoc
diligenter intenti, ut oves errantes ouili suo, ve-
roque Pastori, quo ad eius fieri potest, in agro Boë-
mico restituantur. Amen, Amen. Seniore[m] Ca-
nisiu[m], qui primum Collegij nostri lapidem ie-
cit, in Christi nomine vestris & sacrificiis, & pre-
cibus Domino commendetis quæso.

In literis ad Monachien[se]s datis ipse met aper-

*Ad Monachi-
enses.*

tētestatur exitum eius Collegij felicem sibi à Deo
 promissum. Sic enim ait. Ego certē, vti hoc obitu
 addam, Clementissimo Deo gratias ago, qui me
 ante inchoatum vestrū Collegium indignū pre-
 cantem singulari consolatione perfudit, & gra-
 tiose promissit rerum nostrarum successum fore
 felicem. Hunc exitus postea comprobavit. Prin-
 ceps Albertus viua voce simul, & scripto testatus
 est, cum affirmaret Societate Iesu in Bavaria sua
 ad fidem Catholicam restaurandam, ac promo-
 vendam plurimum contulisse. Norunt & alij sa-
 pientes, publiceque fatentur potestatem nostram ad-
 nentum diuinum cultū in Bavaria passim resco-
 rescere: Ecclesiastica sacramenta sapius, ac religio-
 sis exerceri: religionem nouam obsolescere, ve-
 terem verò magis, magisque confirmari. Poeniten-
 tiam, & caritatis opera studiosius coli: maiorem
 bonorum studiorum curam in scholis haberi: re-
 ctiusque passim iustitiam Bavariam in fide, &
 pietate Catholica prouelli. Hæc ego citra vllam
 arrogantiam scripta hæc diei, & accipi velim, soli
 vobis Deo, & veritati suae constet locus, & gloria de-
 bita tribuatur: utque magis fidum aliorum proba-
 torum hominum testimonium comprobetur.

Bene-

Benedictus bonorum autor Deus, quod ego senex, atque inter nostros omnes senior factus non modo videam, sed quodammodo gustem præsentem, dulcesq; fructus uestrarum manuum, quos quotannis ex Monachiensi horto collectos de promitis, & compluribus fidelibus vere salutare esse monstratis. Confirmet in vobis quod cœpit princeps benefactorum Christus, ac proprium Societatis nostræ spiritum in visceribus uestris augeat, ut non uestram quidem utilitatem, sed communem Bauarorum salutem, ac profectum animarum, præsertim in Clero, populoq; Monachiensi promouere pergatis. Quâto autem clementiores, ac munificentiores erga vos habetis Principes, tanto maiorem illorum meritis, eorumque præclaræ ditioni gratitudinem per vos exhiberi congruit: ita ut Bauarorum animis in fide, & virtute prouehedis nihil anteponatis: diuinæ gloriæ propagandæ sedulo inservientes. Caritatis legem auream Christus vobis eximie commendauit: sed & Paulus frequenter inculcauit. Hâc ipsam Monachii, & in reliqua Bauaria sic porro excolite, ut iuvante Deo, multorum animas magis, magisque lucrificetis: ut non solum in statu suo absque ullo detrimento

faciatis: ac simul oues errantes ad suum reducantur
ouile. De me hoc vnum reticere non possum, &
valde vobis commendatum cupio, vt quandiū
nouum Collegium, ac Templum D. Michaëli sa-
crum durabit, Senioris Canisij vestri non obliui-
scamini, talemque primum siue fabrum, siue Ar-
chitectum vestris sacrificiis, & precibus Domino
commendetis. Ipsi laus, & gloria sempiterna.

*Ad Onipon-
tanos,*

Deniq; Onipontanos in hunc modum hor-
tatur. Excolite porro, vt coepistis, messem Tyro-
lensem, ac in ea cum prospera Domini benedi-
ctione pergitte laborare. Commendo vobis, quod
ad possum, debita gratitudinis officium, quod
nō solum Fundatoribus Austriacis, verū etiam
aliis quoq; Patronis, & amicis, quos Christus non
paucos tribuit, sedulè, & felleiter exhibere debeat-
tis. Egregium vobis patet Ostium ad multos no-
biles, & ignobiles, ad magnos, & paruos vniūsq;
sexus homines Christo lucrificandos, atque in
omni pietatis, & virtutis studio magis, magisque
confirmandos. Igitur paratam vobis messem, cam-
que vberem libenter amate, & prouehite apud
Tyrolenses. nec verbo solum, sed etiam exemplo
ad meliora æmulanda charismata multorum in-
formate

formato animos, quemadmodum Christus Dominus messis, & Societatis nostræ institutum, iustaq; amicorum expectatio sancta à vobis exigūt, & deposcunt. Mihi vero iam emerito velut seni, ac inutili operario haud parum beneficij contuleritis fratres, si Canisij vestri senioris memoriam vestris & sacrificiis, & precibus, quæ vestra est in me benevolentia, crebro interposueritis: illud spero procuraturi, vt viui, & defuncti primi Patris apud vos memoria non intermoriatur. Bene in Christo valete Patres, fratresq; Carissimi, ac eam præclaræ vestræ Vocationis rationem semper habere, vt professione pauperes, obedientia simplices, spiritu feruentes, & animarum zelo flagrantæ multos in Christo filios generetis, ac nutriatis.

His vocibus, hisque curis infatigabilem sacer Christi Athleta cursum consummabat: multiplicabaturq; in senecta vberis, bene patiens, vt quantum superesset in se halitus, & Dei spiritus in naribus suis, diuina monita omnibus annuntiaret. Dum vero longè positos cohortatur socios, & supremis monitis instruit, nequaquam præsentibus oblitus est Friburgenses. Itaq; eos dulcissimis hisce verbis affatur. Diuinæ Maiestati, vti par est, gra-

*Ad Friburg.
gen/es.*

f

tias

tiasago, atq; per vos carissimi fratres agi quoque percipio, quādoquidem cælesti præsidio factum est, ut indignusego velut postremo in terris extruendo pietatis domicilio reseruarer, primumq; illi præficerer in hac mea vltima peregrinatione. Anni plures sedecim abierunt, quod obedientia duce Friburgum accesserim, illicque manserim factus velut præcursor aliorum, ut partim viva voce, partim calamo, & scripto in hoc agro Dominicolaborarem, ac præsertim in spectabili templo D. Nicolai euangelizarem. Agnosco sanè ingens beneficium Domini, cui visum est me senē hoc præstanti inter pagos Helueticos loco tandiu alere, ac benignè tantisper fouere, donec ætas ingrauescens inutilem fere operarium reddidit, ut palam in Ecclesia docere, ac Dei populo seruire prohibear. Igitur confectis aliquot annorum laboribus, ad maiorem senilis vitæ tranquillitatem adspirare debui, meq; multorum hominum cōuictui, atque familiaritati necessitate magis, quā voluntate coactus ita subduxi, ut vitam priuatam agerem, velut sarcinas meas collecturus, ac peregrinationi huic finem impositurus, ne alioquin vocatus à Deo in patriam, imparatus proficiscar.

Atque

Atque vtinam licuisset mihi in ministerio meo
 Friburgensibus ita prælucere, sicut Collegij, &
 Prouinciæ nostræ seniore[m] facere oportebat, vt
 caritate, & vigilantia me cunctis præsentibus,
 & absentibus accommodarem, vitæq; perfectio-
 ris exemplar iunioribus declararem. Igitur do-
 mesticos fratres amanter moneo, simulq; rogo,
 vt quod à me domi, ac foris hac in parte neglectū
 fuit, virtute illi sua suppleant, suisque laboribus
 in Christo compensent. Excubias agite non so-
 lum, vt hoc oppidum, eiusq; ditionem in fide sa-
 na confirmetis, verum etiam, vt vicinos lupos, &
 vrsos perpetuo insidiantes gladio spiritus arcea-
 tis. Præsentem hic Clerum, & Senatum reueren-
 ter obseruate, & iuuentutem vobis concreditam,
 tum in studiis, tum in Catechismo, omniq; vir-
 tute prouehere pergite: nec minus adultis, quam
 iunioribus ad Catholicam pietatem instaurandā
 verbo, exemplo, & sacramentis simul operam
 date. Præterea nequaquam vos obliuio capiat
 eximij Patrōni, cuius memoria in benedictione
 est Domini Francisci Bonhomij Vercellensis E-
 piscopi, Legariq; Apostolici, vt de præsentē Hel-
 uetia, ita & de societate nostra optimè meriti. Hu-

*Franciscus B.
 homini lauda-
 tur.*

ius quidem singularis prudentia, & integritas in
 reformanda Ecclesia, tum fauor, & amor mirifi-
 cus erga Friburgenses effecit, vt Gregorius XIII.
 Pontifex Maximus nostros huc iusserit destinari,
 cum nihil tale cuperemus. Iudicauit enim operæ
 pretium, vt in signis hæc Respublica societatis no-
 stræ industria, & studio, velut inuictum extaret
 Domini propugnaculum, seque fortiter aduer-
 sus imminentes aduersarios in pietate Catholica
 tueretur. Quare nostrum est, fratres, sancto dicti
 Episcopi proposito, iustoque desiderio, simulq;
 præclaræ Friburgensis Senatus, ac populi expecta-
 tioni facere satis, vt quotquot in Collegio nouo
 sumptuose nobis, & eleganter fabricato, cuius
 fundamenta ego benedixi, per Dei gratiam vn-
 quam commorabuntur, se talibus fundatoribus,
 ac Patronis gratos, & in hac ampla messe fidos o-
 perarios præbeant, qui pacis, bellique tempore
 factis potius, quàm verbis se officij sui memores
 esse declarent. Cum v. caducum corpus meum,
 quod vermium cibus esse debet, terræ mandaue-
 ritis, si apud vos quidem de vita migrauero, ani-
 mam in primis immortalī Deo commendare nō
 desinatis: vt ego per diuinam misericordiā ema-
 culatus

culatus electorumque sacerdotum consortio aggreger; ac itidem pro vobis vestroque Collegio, & Oppido Dominum prece in regione viutorum fiat, fiat.

Sed ego hactenus res à Canisio gestas exequutus, tamen si promptum est arborem ex fruge nosse, tamen facturus operæ pretium videor, si antequam excessum referam, ipsummet Canisium, & ipsam per se, quasi stirpem, vnde extiteret fructus, coner sub aspectum ponere.

Ac principio illud ponendum est, quæ tria procuratorem animarum perficiunt, suntque agendarum rerum præfidia maxima, scientiam primum humanarum rerum, ac divinarum, Tum eloquentiam: Postremo illustrem virtutem, in Canisio sane fuisse eiusmodi, atque ita inter se coherentia, inuicemque complexa, ut nihil ad speciem pulchrius, nihil ad agendum aptius iure quisquam desiderarit. Secundum scientiam componebatur vita: ex utraque manabat eloquentia. Quippe sciuit multi, multique dicunt, neutrique faciunt, & peccatum est eis. Faciunt quidam, sed scientia eos, aut eloquentia destituit, & damnum est proximis. Canisio scientia erat norma viuendi, vita dicendi. Non enim præclarius

Virtutes Canisii.

Perfetta in illo Evangelica Procuratorum forma.

*Doctrina eius
valde.*

sciuit, quam sanctius vixit: nec docuit maiora, & fecit. Doctrinā quæ, & quanta fuerit, ipsa hodieq; docent monumenta. Fatebantur passim Hæretici olim, qui fieri non posse rati, vt error in tanta eruditione subesset, non latere eum aiebant, sed nolle promere veritatem. Declarabant tempestatis eius doctissimi, ac maximj viri, Ioannes Gropperus, Ruardus Tapper, aliiq; Louanienſes Doctores: Cardinales Stanislaus Hoſius, & Sirletus: Societatis Præpositi Generales: Nuntij, Legatique Pontificij: Pontifices ipsi, & Imperatores: demum Dynastæ, & Antistites eminentissimi, qui, si qua in re consilio opus esset, si quid iudicandum obscurius, si quid scribendum subtilius ad sapientiam illam reiciebant.

*Eloquentia
magnifica.*

Eloquentiam quoq; scripta, quæ extant, loquuntur. Nec temerè inuenias seculo illo, quamuis eloquentissimo, qui de grauissimis rebus tam apte, grauiusque, & quantum Maiestatem argumenti decebat, eleganter, copioseque scripsit. Fluit beata copia pleno quasi alueo: nihil in ea asperum, ac tortuosum, procul amœnitates ineptiarum, nec tamen est inamœna: sed vis adest, & cum dignitate robur: antiquitatis quandam sanctita-

citatem spirat, lectoremque iucundissimè tenens
&, in quam fertur ipsa partem, secum volentem
rapit. Talis erat, & viua dictio de loco superiores;
eo quoq; rapax magis, & efficax, quod eam actio
dècora, & modesta prænuntiaro animabant. In-
de populorum concursus: inde nomen ei Catho-
licus Prædicator: inde commutationes morum,
& vitæ, & sectatum eversio, & restitutio religio-
nis: quod vnum est Christianæ facundiæ mini-
me fallax documentum. Neq; enim multitudi-
nem inani aurium delectatione capere, & lingue
volubilitate tenere suspensam recto eloquētiam
dixeris, nisi adulterinam, cum quod Evangelici
Oratoris est nihil efficiat. Memoria Canisio erat
prompta, inexplebilis, apprime fidelis ac tenax.
Ingenium morosius, nequaquā cogitationibus
primis contentum. In lucubrationibus maioris
operæ tantum ponebat curæ, vt mirarentur non
qui fieret, vt valetudinem nō prorsus pessum da-
ret. Quippe magnitudine iudicij videbat quid ef-
fet optimum, & perfectionis vbique studio, ad id
quod videbat, consequendum repetitis conati-
bus nitebatur. Nam si cui primo statim impetu

*Nota Vera elo-
quentia concin-
natoria.*

*Accuratè in
condendo li-
brum.*

abso-

absolutio, ac summa provenias, cum ego extra humanorum sortem ingeniorum posuerim.

*Haec minor in
Gita/na in-
sistent.*

Gemina in cultu virtutis ratio, comparq; iudicium erat, sincerum, exactum, atque ad cōscrupulosius citra angorem. Nimirum Maiestatē sacrosanctæ Numinis notitia ad cultum eius accuratorem, & Theologica subtilitate ad exigēdum ab se seuenius officium, nō ad vltā ex parte laxandum (quod quidam perueffissimofaciunt). vtebatur.

Prudentia.

Prudentia siue in administratione domesticā, siue in quādam animis, præsertim in exco- gitandis viis tui conseruandæ, tum restituendæ religionis Catholicæ sane multa. His donibus stre-

*Patientia la-
borum.
Temporis per-
sistentia.*

nua nauitas, & solers addebatur industria. Laborum ad miraculum patientia. Temporis quanta nunquam cuiusquam pecuniarum, auaritia, vel inter cibum seria dictare, & inter arduas peregrinationes opera, quæ summā quietem poscerent, commentari, iudicare, literis consignare: multa finiri moliri, Prouinciā regere, publicis religi- onis rebus grauissimis occupari, concionari, scribere: quæ singula quamuis naui hominis capaci- tatem expleant.

*Occupationes
plurimæ.*

*Figura corporis
græ.*

Accedebat illo digna animo, ingenioq; figura corpo-

corpore: statura procera, virilis faciei dignitas; coma, quam pro more gentis, modicè promittebat, nigricans, vix extrema senectæ canis aspersa; barba ex subnigro rufescens: oculi, tametsi alter absque fœditate laborabat, ad ultimum vsq; immensæ illi lectiōi pares. Ceterum viri industriæ, dictis, aliisq; rerum agendarum adminiculis præcipuum dabat robur, ac pondus autoritas vitæ. Nihil in eo, quod ex merito vituperaret aduersarius, nihil quod desideraret auditor, inueniebat. *Illibat* ^{*Pudicitia illi-*}
 batus erat corporis pudor, ac mentis; & quædam ^{*batur.*}
 ex toto habitu in veneranda seueri dignitate viri virginalis sanctitas emicabat. Quo in gēre videbatur extra commune naturæ vitium positus, ac ne scire potius hostem, quàm vincere, cum tamē nunquam excubias, custodiamq; ac remitteret, nūquam arma poneret. Cibi perparcus, somnique, ac plerunq; eum inedia, tum vigiliarum, itemq; ciliciorum, ac flagrorū immodicus. Itaq; sæpe ad Generales Præpositos vt nimium se se his, aliisq; ærumnis macerans, & discrucians delatus est; & ab iis de modo adhibēdo commonefactus: & tandem cum Rectore, apud quem versaretur, communicare, quæ faceret, atq; eius consilia au-
 t dire

Pudicitia illi-
batur.

Vita durities.

Modestia exterior.

Lingua moderata.

Candidus animus.

dire iussus Sobrietatis constātiā nullæ locupletum, magnatumque, quas cogebatur interdum subire, de suo gradu dimouebant epulæ. Neq; ea tñ siue per ostentationem leuis, siue per tristitiam onerosa conuiuiis, sed ab religiosæ comitatis declinimento, cæteræq; vitæ conuenienti, illustriq; tenore venerāda, & amabilis erat. Vultus, conspectus, incessus, gestus, & quicunq; motus ad Christianam humilitatem, & seriæ personæ speciem compositus. Cultus corporis, atq; amictus Evangelico pauperi consentaneus, procul à sordibus, sed multò magis à nitore; neglectior, quam curiosior. Oratio cum maturitate lenis, & sine austeritate grauis. Risus perrarus, isq; grauitate conditus, idemq; non nisi index humanitatis, & caritatis in tempore condimentum. Lingua in qua emendata perfectionē merito statuit S. Iacobus, planè sancta, nescia nugarum, in mediis aulis religiosa, ubiq; cælestia laudum diuinarum mella manans. Candidus, ac liberalis animus: ad innatam bonitatem addita bonæ simplicitatis voluntaria cultura, diuinæque ante omnia perfectione gratiæ. Benignus in existimatione, ac prædicatione alienæ virtutis. Gregorium quidē Rosaphium, & Pau-

& Paulum Hoffæum, quorum alterum in concionibus Augustanis, alterum in Prouincialatu successorem habuit, miris laudibus, longeque sibi anteferebat, extollebat: atque ita ingenuè, nihil ut ^{ingenua beatitudas.} ambigeres, quin ex animi sententia loqueretur. Sapientiam quoque, ut sine fictione didicerat, ita sine inuidia communicabat, aliena opera exponens, sua inuenta conferens, extimulans hos, alios iuuans ad scribendum, & edendum, quæ salutaria publice forent. Minimè erat suspicax, minime malum cogitans: ex bonitate, innocentiaque sua quicquid offerretur vel in optimam accipiebat partem, vel interpretabatur quam mitissime. De nemine conqueri, multo minus obrectare cuiquam, vel cum quopiam quamuis in religionis certamine altercari.

Insignis erat mansuetudo: ipsos ex animo miserabatur Hæreticos, & deterrimum quemque plurimum: pro quibus & faciebat assidue, & vndique conquirebat ad Deum preces. Habuit mansuetudinis promendæ campum præter maledicta, & calumnias foede contumeliosas Hæreticorum, cum Ingolstadij olim, tum postea Augustæ ab iis, quos minimè oportebat. Quorum ob-

tractationibus, & offensis aliud nihil præter obseruantiam, caritatem, honorem omnem & verborum, & officiorum rependebat, socios admonens, vt quatenus decori religiosa ratio pateretur ad demerendos eos nihil omitterent. Habuit etiã nonnullam in societate materiam in eodem genere; cum Viennensis Rector suspicionem esset ingressus eũ sibi Prouincialem parum propitium esse: quod contra erat. Nihil enim malebat amantissimus Pater, quam studiis eius obsecundare, quæ erant optima illa quidem, sed interdum ardentiora, extraq; id temperamentum, quod Canisij vellet modestia, cui declinandæ offensionis antiquissima cautio erat. Igitur vt suspicionem talem amoliretur, & Rectoris erga se fiduciam aleret, quid non agebat, quid non dissimulabat? Cuius &angebatur angore, ferens ægerrime sua causa quicquam illi iniucũdum accidere. Rectorem alium Oenipontiã perfunctus ipse Prouincialatu, cũ pro suo munere (namq; admonitor erat) ex consiliariorum sententia quædam esset admoniturus, antequã verbum faceret, veniam precari non omisit: iterumque vbi quàm lenissime quæ necessaria erant scripto exposuit, modesti-

stissime sibi rogavit ignosci. Cumque ille item scripto primum placidè respondisset, dein grauius se offensum ostenderet, non tulit mitissimum Canisij pectus Præsidis sui, quem loco Christi intuebatur, dolorem. Coram adiit, perq; benigne ita alloquitur. Libellum exararam, per quem tuo responderem, sed postea rupi, quia inter nos caritas membrana non eget. Quæ antè proposui non eo feci, quo vitio tibi verterem, sed vt occasionem sapienti darem Collegij statum per temet, vel alios explorandi, quæque viderentur constituendi. Inter quæ, cum etiam num commotior ille perseveraret, Canisius ad extremum, quamquam nulla in re offensum iure credebat, tamen vt præcepto Christi obtemperaret, qui monet reconciliandum esse fratrem, non modò qui nos offenderit, sed etiam qui quid aduersum nos habeat, vertit se se ad preces, veniamque institit per mansuetudinem Domini etiam atque etiam rogare. Ita quæ iunioris hominis, & filij, totque nominibus inferioris erant partes, senior eas, ac Pater, tantoque superior ultro suscipit, ne quid cui ex se quamuis extra culpam suam, minus lætum resideret. Prodibant officia hæc ex animi ingenua

simplicitate, verissimaq; submissione Christianus viri.

Virtutes quatuor in Canisio eminent.

Et quidem, ne per singula obiens, longum faciam, quatuor inter omnes eminere maximè cōperio Apostolici huius viri virtutes, Humilitatē & obedientiam, vtramque simplicitate pulcherrima decoratam: tum insigne precandi studium: postremo diuinæ gloriæ, & salutis animorum, religionisque tuendæ, ac propagandæ immensum ardorem. Nihil iterari attinet de repudiatis tanta constantia honoribus, & muneribus amplis. Quæ sine dubio plura ad eum quasi factō agmine conuolassent, nisi planè alienum, & inexpugnabilem animum, qui rerum potiebantur, perspexissent. Aulas quoque quantum defugerit, indicatum est. Illud hoc loco addiderim, cum esset inscribendis literis sanè impiger, tamen sæpè fuisse extimulandum, & tantum non se uero præcepto cogendum, ut ad Cardinales Varmiensē, & Augustanum, & alios responderet, qui cū sanctissimis eius literis vnicè recrearentur, apud Generales Præpositos haud sine querimonia negligentiam accusabant. In Romana etiam Curia expetebantur literę eius: ille tamen ad neminem nisi vo-

Prima Humilitas.

fivo-

si voluntate Præpositi, ad quem & ipsas mittebat literas, scribendum sibi putabat : ne dum ambitiosa aucuparetur officia, atque superuacaneis tēpus perderet. Ad ipsos societatis Præpositos, vbi deerant negotia, nihil dabat literarum; nisi extremo anni poenam noxarum anno exacto conceptarum, & bonam precationem ad annum sequentem perfectius exigendum suppliciter rogans. Itaque fuere etiam ex ipsis, qui iuberent ad se certis interuallis literas dare, vt vel sic reuiserent, & de valetudine docerentur. Ad hæc summissio animi simplex, ac bona eo fit palam, quod iā senior sic quasi Tyro Confessarios adibat, eisque non peccata solum expianda, sed conscientiam omnem quamuis iuuenibus, & quos pueros ipse instituerat, vt doceretur, ac regeretur, explicabat, quod Ferdinandus Alberus, & Franciscus Rocca satis experti, hodieque haud sine quodam suo rubore testantur. Et quidem Rocca Amanuensis eius, vbi creatus Sacerdos est, præ reuerentia tanti Patris, ne iudicis in eum partes vsurpare peregrè cogeretur, absolutoriam in Sacramento poenitentium formulam dedita opera omittebat discere. At vbi *primum* per eam excusationem ad eundem Patrē reiecit,

reiecit, recessit ille tum quidem tacitus : sed redit paulo post, scriptamque in man⁹ formulam tradit, & sedere iussit ad pedes abiicit se se. Versabat sæpe, & cogitatione, & ore Christi vocem, Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in Regnū cælorum. Libentissimè simul cum paruulis versabatur, & eorum simplices animos cum fidei rudimentis, & salutaribus imbuebat monitis, tum Sacramento Poenitentiae expiabat.

Secunda Obedientia.

Humilitatis præstantiam perpetua eius seu soror, seu filia clariorem facit Obedientia, quæ summa in omni genere fuit. Ecclesiæ Catholicæ iussa sic obseruabat; vt quoniam potestas facta erat Hæreticos libros legendi solenni formula ad impugnandum, summopere caueret, ne quando eos alia mente tractaret, non modò curiositatis, sed ne discendi quidem, si quid rectum haberent. Parerat in familiari cōgressione, & vsu cum ipsis Hæreticis cautio, & duntaxat ad eorum cōuersionem, idque semper præsentī cogitatione ac studio referretur non sine morfu, atq; dolore, si quando videretur sibi alterutra in parte minus attentus fuisse. Aduersus mandata summi Pontificis habebat se planè tanquam à Christo profecta essent.

Ecclesiæ iussu.

Pontificis summi.

sent. Sæpius fuere per Aquilonares Prouincias ob-
eundæ viæ longissimæ per imbres, per gelu, per ^{Pontificibus}
hominum iniquissimorum iniurias, nunquam ^{summi.}
tamen tergiuersatum reperi, nunquam modicu-
juspiam moram interposuisse. Quantæ obedi-
entiæ fuit ille dolor, quod Ferdinando Imperato-
re, vti supra demonstratum est, postulante, vt è
Polonia in certam diem reuerteretur, non subiis-
set sibi respondere, diserteque explicare obeditu-
rum, nisi Pontificis mandatis teneretur? Quantæ
conatus ille contra Magdeburgenses Centurias
scribendi? cùm se nunquam putaret obedientiã
fatisimplere, nisi magis quam pro virili, ac prope
supra vires laborem contenderet? Vsq; eo dista-
bat ab eorum ignauia, qui iussa maximarum po-
testatum ad desidiæ, licentiæq; nutrimenta ver-
runt. Habebat hoc etiam miri Canisij obedi-
entia, quod per maiorum potestatum imperia ne-
quaquam absolutum se, exemptumque putabat
rectione, ac iussis Inferiorum. Norat enim, quæ à
Deo sunt, ordinata esse. Itaq; non modò nunquã
vt Præpositi Generalis eluderet nutus, Põtificum
obtendit imperia, vel Generalis mentem Prouin-
cialis opposuit studio: sed potius illorũ præcepta

*Minoribus etiã
Præsidibus.*

ex horum interpretatione capiens, efficiebat conatu, vt omnia pariter quam cumulatissime exqueretur.

In gubernatione Prouincia.

In regenda Prouincia nihil habebat molestius, quàm si qua in re, vel per moram *literarum*, vel subite deliberationis necessitate rogeretur interdum Præpositi carere sententia, & sequi suam: quanquam ne tum quidem suam ferè sequebatur. Decretos sibi à consiliis, grauiioresq; Patrum alios sedulò consulens, viam inueniebat exercendæ ubiq; obedientiæ; vt in his quoque, quæ manderet, administer magis, quam autor esset, nec prius iubentis, quàm parentis obiret partes. Idcirco etiam optabat, & postulabat assidue Visitatores mitti, & missos excipiebat, vt Angelos Dei: nè vt ageret nihil, quod non oculi Præsidium vel præirent, atq; dirigerent; vel sequerentur, atque corrigerent. Fuit in Prouincialatu aliquis Patrum cooptandus in partem laboris ad scribendas literas: noluit suæ lectionis id esse: sed integram rem ad consiliarios reiecit. Quod & ad fugam exercendi Imperij pertinet; & nequid in legendò indulgeret priuato studio, si quod erat, vel potius, cum perinde aduersus omnes animatus esset, ne anticipi

piti deliberatione fatigaretur. Inter Augustanas conciones dubitabat an esset lustranda Prouincia, ab Roma petebat responsa collectis in vtrâq; partem non ab se, sed à socio suo, missisq; rationibus. Præuidebat quæ Dynastas ex se pro temporum varietate petituros verosimile erat, præoccupabatq; sciscitari Præpositi Generalis sententiam.

Et quoniam ex abundantia cordis os loquitur, plenæ sunt eius Epistolæ his vocibus. Faciam quicquid Deus per meos superiores constituerit. Formola put-
cherrima qui-
bus obedientiæ
suam signifi-
cat. In obedientiæ sanctæ decreto libenter acquiescā. Obedientia mihi ex quocunq; loco, vbi me collocet, faciet Paradisum. Hoc esse officij mei propriam fateor, vt quæ statuunt, & mandant mei superiores, exequar. Vt nihil discedam à præscripto sanctæ obedientiæ. Non recuso laborē quem obedientiæ sanctæ deberi scio. Non eligam in Domo Domini esse aliud, quam iumētum apud te (Lainium Vicarium alloquitur) omnibus diebus vitæ meæ. Fiat Domini voluntas, & obedientia sancta per nos impleatur in omnib⁹. Dabit Deus his quoq; finem, & ego, vt spero, moriar filius obedientiæ in Christo Iesu Domino nostro. Valeant studia, si ab his auocat obediētia, cui me

totum debeo. Erit mihi semper acceptissimum ut quicquid obedientiæ sanctæ visum fuerit. Ex voluntate superiorum totus pendeo, quorum voluntate nihil habeo antiquius quomodocumq; de me tandem statuam. Fiat voluntas Domini in omnibus: Ego maioribus obsequi pergam, quicquid imperarint Christo auxiliante.

*Obediencia vna
dicitur perfecta.*

Prouincialatu defunctus, simplici, inexplorata, cita, perfecta; obedientia docilitatē vel nouitiorum primam ac facilitatem superauit, & quidem in rebus, quæ magnā, iustamq; videbantur offerre causam sin minus tergiuersandi, certē ad superiores aliquid deferendi. Etenim non semel euenit, vt Generali Præposito, cū ex Prouinciali cognouisset, quæ is de Canisio decreerat, nullo modo probarentur; vt cum Augustam ad confessiones audiendas, cum Oenipontum ad conciones missus est: ille autem celeritate obediendi præuenerat Generalis mandata. Quantum illud sacrificij fuit, inchoatum de sancto Petro opus ad tenuissimum nutum abiecisse, cum quæ de sancto Ioanne, atq; Deipara edita erant, tanto cum plausu, & bono publico legerentur? Quantum illud septem annis Oeniponti perseuerasse? septēdecim

decim Friburgi nobili quidem in ciuitate; angulo tamen Prouinciæ: nec celebriorum vrbium lucem, nec vlla Collegiorum maiorum solatia, nec leuamentum ex peregrinatione vnquam quæsiuiffe? cum tamen primis earum terrarum assuetus esset conuentibus, & in perpetuo discursu plerunq; egisset ætatis atq; adeo Præpositi Generales vltro cohortarentur, vt subindè respirandi causa, & valetudinis roborandæ, quo voluntas inuitaret exiret. Sed ille nec benignitate Præsidum vti voluit, nec valetudini suo magis, quam Præsidū arbitrato consulere: ibi iucundissime degens, vbi obedientia collocaret. Itaq; in literis quibusdam Friburgo de Germanicis rebus nihil habere significandum ait: quia de tota Prouincia semotus, inquit, & in hunc extremum quasi angulum reclusus videor: sed non sine præsentī consolatione, quam sancta nobis obedientia meritò præbet.

Eodem pertinet modestia, & veneratio, quam cum Præpositis agebat. Si qua de re sententiā suā exponere iuberetur, Veniam antè, postque expositā sententiā precabatur, testificans integra se velle oīa Præpositorū iudiciis, & potiora ea se habiturū: nec deinde aliter gerebat se se, quam si nihil ea

*Observantia
erga Præpositos.*

res ad se pertineret. Eodē deniq; pertinet alacritas, qua opera subiiciebat censuræ omnium, & ad aliorum accommodabat gustum. Nam ideo in opere Mariano paulò aliam tenuit differendi rationem, ac viam, quam in Ioanne Baptista tenuerat, quod id cognouit aliquorū magis palato amittere. Totus igitur ex obedientia factus, totus ex humilitate vtraq; sincera, mireque simplici. Easdemq; virtutes optabat, ac Deum precabatur ut in Societate nostra in primis florerent. Intelligebat nimirum per illam Sanctorum, qua plenuse rat, sapientiam, eas esse maxime capacē celestium donorum materiam, familiaritatis Dei conciliatrices, beatæ pacis tranquillitatisq; parentes, atq; custodes; rerum deniq; bene, & feliciter agendarum firmissima fundamenta.

*Simplicitatis
perfundus.*

Consueuerat supremo tempore ad Tyrones Landspergenses quot annis Friburgo piorū quid monitorum, & ad perfectionem vtilium religiosæ strenę loco sub nouum annum perscribere: interq; alia pulcherrimum illud impensè commēdat: ut omnes, qui in Societatem dant nomē, maximeq; docti, iamque rebus agendis exercitati ad exemplum proponant sibi puerum Iesum: & obedi-

bedientiam promptissimam, & sapientissimam simplicitatem, quam tenera in ætate ille præstitit, imitari omni ope studeant. In quo cum iam inde à primo matris cōceptu thesauri fuissent omnes scientiæ, atq; sapientiæ Dei, tamen ad decorum se ætatis accommodans, nec emanare sinens immensam illam lucem, subditus, & obsequentissimus Iosepho, & Virgini Matri erat: & quamvis haud dubiè meliores ipse rerum efficiendarum vias, quàm quo interdum modo imperabantur, nosset, nihilo tamē minus aliena placita obedienter, ac simpliciter sequebatur. Quam obedientiæ formam Canisius haud magnificētius verbo proponebat iuuenibus, quam senior ipse re tenebat. Quippe videre erat grandem natu senem, cuius per omnes Ecclesias (hoc enim maximus eum vir Cæsar Baronius Cardinalis ornat Elogio) laus in Evangelio erat: cuius vel conspectum ponebant in beneficio pleriq; Catholicorum, & tanquam ex oraculo edita responsa accipiebant, intra septa domestica velut vnum è numero suas obire vilissimorum ministeriorum vices, purgare scopis domum, tergere in coquina lances: dormire, surgere, vesci, omnia demum ad alienum nutum, hoc est legum, ac Præsidum facere.

Quanti

*Societatem
quoniam faceret.*

Quanti verò ipsam Societatem faceret ad hunc
locus, ut coniectandum subiungam. Nunquā
fere incidit eius mentio, vel vocationis, aut obe-
dientiæ, quin sanctam Societatem, sanctam Vo-
cationem, Obedientiam sanctam appelleret. So-
lennis ei formula salutandi socios erat, ut in utro-
que homine læti agerent in hac sancta Vocatione.
Apparet è susceptis pro tuendo instituto di-
micationibus apud Dynastas; & perpetua vigilia,
atq; constantia ne quid contra leges, moresq; per-
mitteret. Cuius generis quam frequentes, quam
spinosa occurserunt molestiæ, æstimare nemo po-
test, nisi qui B. Ignatii decreta de fundandis Col-
legiis, & Fundatorum ingenia norit: quæ tempo-
ribus iis difficiliora etiam tractatu erant, quod
nōdum usus lucem addiderat, & viam strauerat
legibus nostris: & in maioribus Colonorum sa-
crorū angustiis perstudiosi publicæ utilitatis Ma-
gnates omnia putabant nobis cuiusq; modi mu-
nera, conditiones quaslibet subeundas. At Cani-
sius, quanquam inexpugnabiles interdum diffi-
cultates circumuenirent, spem tamē, & animum
diuina obfirmans fiducia, aiebat, Vindicanda est
Instituti huius libertas: inherendum præscriptis
legi-

*Constantia in
tuendo insti-
tuto.*

legibus, præuertenda pericula, & incōmoda quæ
pacta illa secum afferre videntur. Potens est inte-
rim Deus facere supra quam credimus, & intelli-
gimus, præsertim sacrificiis, & precibus multorū
intercedentibus. Cū de progressionibus Socie-
tatis, rebusq; ab ea prospere ad Dei gloriam gestis
cognoscebat, miris gaudiis implebatur, & ad re-
damandum, ac laudandum accendebatur om-
nium bonorum fontem; sic vt multis deinceps
diebus residuo inde piæ dulcedinis gustu perfru-
eretur. Indixerat quondam Lainius Generalis pro
suæ administrationis, ac totius ordinis prospero
cursu singula sacerdotibus sacra, & alias sacerdo-
tij expertibus quadam portione preces. Modesta
nimis, ac restricta ea Canisio visa præscriptio: se-
ptena malebat sacra persolui, & alias preces ad eā
rationem multiplicari, vt septiformi spiritu Deus
augeret, confirmaretq; lectionem, functionemq;
Præpositi, curaturumq; se professus est in Prouin-
cia sua, vt vberior pensio esset. Seculi anno 94. cū
præter multorum opinionem Societatis conuē-
tus Generalis exitum Romæ mirè pacatum, & o-
ptatissimum habuisset, erupit in has gestientis a-
nimi voces, A Domino utiq; factum est istud, Ro-

*Gaudium ex
Societatis pro-
spere cursu.*

ma etiam obstupeſcente, & non minus Pontifice Maximo, cui hoc quidem æuo debemus plurimum. Mirabilis ergo Deus in ſeruis ſuis, qui nouiſubmiſit præſidia confirmando corpori Societatis valde ſalutaria: nouamq; præbuit lucem & infirmis, & robuſtis, paruis & magnis conuenientem, atq; peropportunam. Pugnet igitur aduerſus immanes Turcas Germania: tumultuetur cū ſuſpecto Rege Gallia. (Nōdum enim Henricum Quartum Pontifex Catholicis reſtituerat) furant atque infrendeant inſani Hæretici, vt ſe perfidos Eccleſiæ deſertores eſſe demonſtrent. Nos velut in portu nauigantes in ſalutari noſtro Ieſu reſpiremus, & ad cæleſtem, quæ non procul abeſt, patriam fidenter aſpiremus. Quo maioribus diuinæ bonitatis muneribus cumulamur, eo lætius oculos attollentes ex animo decantemus illud, Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quæ fratrum coniunctio ſupra petram fundata, & cum Maiorum autoritate copulata, nullis humanis viribus, ſed neque diabolicis machinis poteſt labefactari, Chriſto vincēte ſemper in filiis obedientiæ, & Crucis amatoribus ab eo ſanctificatis.

Hæc

Hæc de Obedientia, pietateq; erga societatem
 Canisij: cuius singularem modestiam, ac submis- *orationis stu-*
 sionem satis etiam studium precum declarat. Vt *dium in Cuni-*
 quisq; enim maximè diffidit viribus suis, ita stu- *sto quantum.*
 diofissime ad faciendâ vota confugit, per quæ cõ-
 ciliet alienas. Vocatus ergo ad institutum hoc *Necessitatem*
 quærendarum Deo animarum, altè sibi demisit *orationis consi-*
 in pectus, ac sæpe cogitatione versabat, nihil ve- *derabat ad lu-*
 rius esse, quam quod vnica affirmavit Magister, *cia animarū.*
 Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum
 multum. Quamobrem frequētem, aut assiduam
 potius Orationis studium adhibebat. Id quippe
 necessarium existimabat, vt & ipse, qui semina-
 bat; & is, qui bonum semen excepturus esset; gra-
 tia Dei præueniente, & cooperante, & subsequē-
 te iuuaretur, qua veluti cœlesti pluuiâ terra quam-
 uis sterilis perfusa, & irrigata nō raro salutares fru-
 ctus efferret. Per sacram vero Orationem non ac-
 cipi modo, & conseruari, sed augeri, ac perfici o-
 mne donum; quod à Patre illo luminum tribui-
 tur, cum extet Veritatis oraculum, Petite, & acci-
 pietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Intueba- *imitabatur*
 tur Apostolorum exempla, & in primis Doctoris *apostolos.*
 Gentium, qui perpētuum cum Ministerio suo fa-

*Et P. Petrum
Fabrum.*

ciendarum precum consuetudinem studiose cō-
iunxerant. Igitur non vniuersè modo, sed ad sin-
gulas actiones implorandę opis diuinę adiunge-
bat curam, neq; eam rudem, ac simplicem, sed ex-
imiam, atq; multiplicem. Hauserat penitus om-
nes à Petro Fabro eminētissimo huius disciplinę
Magistro obseruatas vias; præsertimq; iis vteba-
tur in conciliandis hominum animis, & itineri-
bus faciendis. Nam quemadmodum qui vulgo
ad cuiuspiam gratiam tendunt, per eius propin-
quos, ac necessarios facile aditum sibi aperiunt,
ita animarum Apostolicus captator agendum si-
bi statuebat esse cum Deo, sanctaque Deipara, vt
cum illarū parentibus: deinde cum Sanctis, apud
quos præcipua singularum earum tutela esset, tã-
quam cum fratribus, ac sororibus: denique cum
Angelis cuiusq; custodibus, velut cum Pædago-
gis, ac Magistris. Multum autem in custodibus
hominum exorandis Angelis reponebat, quod
multifariam ij præparare, quibuscum agendum
est, animos; vimq; inimicorum, & oppugnatio-
nes arcere possint, ac vincere.

*Pulchra oran-
di ratio in istis
verbis.*

In habendis verò itineribus obuia quæque, vt
sic dixerim, expiabat, & consecrabat. Nam cum

Mon-

Montes, plana, agri, vineæ, villæ, ac cetera huiusmodi occurrerent, Deo gratias vice, ac nomine possessorum, & incolarum agebat: eisdemq; veniam postulabat, si ipsi nescirent, negligerent ut grati esse: Eisdem postremo necessaria ad salutem, & ad suas recte explendas partes auxilia implorabat. Eadem munera agendarum gratiarum, veniæ, & opis poscendæ, ut susciperent, supplerentque Angelos per ea loca custodes cōprecabatur. Nihilo segnius ubi primum ad oppidum, Prouinciam, aut Regnum aliquod perferretur, Præfides eorum locorum Archangelos, & clariores apud eas gentes venerabatur Sanctos; & inuocabat, ut & incolis, & sibi adesse boni, propitiique vellent, dum inibi legatione pro Deo fungeretur.

Ex hoc instituto facile consequabatur Canisius, ut assidue inter superos magis, quàm inter mortales habitaret: interq; agendas res non modo suauitas, & quidam quasi floridus pietatis succus non elanguesceret, sed etiã vireret pulchrius, & effloresceret pabulo ex actione ipsa petito, quæ perfectissima est Beatarum Mentium, quæ simul in ministerium humanæ salutis missæ semper vident faciem Patris, quoad humana tarditas pati-

*Tota ei Gips
ordino.*

tur, imitatio. Ex ipsis Canisij epistolis haud obscure intelligere est, quam vndiq; sacrarum argumenta precationū arriperet: quam inter opus ab consuetudine Dei non recederet, quam per omnia sibi ad illum faceret gradum. Interferit enim creberrimas, mireque dulces, spirantes, ac pro argumenti modo varias preces: nunc gratias agens, nunc veniam implorans; nunc sibi, nunc aliis, de quibus est sermo, lumen, aut vires, aut dolorem peccatorum, aut alia pro tempore, ac loco rogās aptis adeo formulis, ut qui accurate obseruet, præclaram inde precum, earum, quas missilium instar iaculatorias Magistri Virtutis appellant, summoque opere, ac iure laudant, colligere syluam queat ad omnes vsus. Per frequētes illæ sunt. Deus in gloriam suam conuertat studia nostra. Totum cedat in honorem Dei, & animarū salutem. Deus æternus det nobis summam sapientiam, & ardētem caritatem, ut omnia dirigamus ad maiorem eius honorem, & commune bonum. Dominus Iesus in gloriam suam nostros conatus dirigat. Nec verò alium in familiari cōgressione, coramque rebus gerendis morem tenebat. Itaque commodissimam repperat viam actionis cum contempla-

*Præclare cum
actione orationem
miscet.*

templatione miscendæ, atq; ex præcepto Domini nūquam ab oratione cessandi. Editum etiam memorauimus precationū ab eo libellum summe laudatum.

Ceterum, si cui cordi est, vt esse omnibus debet, precandi Numinis studium, me autore legat, quas hic apud homines iuxtaq; apud Cælites magnus Orator preces adnotauit cum Euāgelij meditatione toto anno iungendas, præclaris illis duobus Meditationum Tomis. Inde comperiet quā ampla, quamq; ingeniosa sit pietas: quantam suppellectilem comparare sibi humanarum necessitatum possit, quas apud Deum pro temporū opportunitate agat, vt, siue ad excitandam in se misericordiam, aliosq; pios affectus, siue ad concipienda vota nunquam non adsit locuples instrumentum. Debent ei profecto multum hoc nomine sacra omnium Precatorū gymnasia. Namque meditationes cum haud pauci satis cōmode explicarint; quas coniungere cum iis preces porteret, vnus omnium, quod equidem norim, ipse singillatim admonuit; singulisq; diebus Dominicis, & sanctorum feriis prudentissime, & religiosissime exequutus est.

Optimus Magister ad meditationem preces accommodandi.

Illud

*Solertiſſimum
in emendican-
do aliorum
precibus.*

Illud præterea obſervarat ex Apoſtolo Paulo, & ſolenter imitabatur, vt aliorum pro ſe preces afſiduè poſtularet. Nam ſi is, qui hauſta in cælo, ex ipſo fonte ſapientia, ſanctoq; ſpiritu adeò plenus erat, Coloffenſium tamen, & Ephęſiorum, & Theſſalonicenſium, & Hebræorum requirere orationes, vt myſteria Chriſti, quemadmodum oporteret ipſum loqui, ſic loqueretur; Conſiderabat Caniſius quid alios eorundem myſteriorū diſpenſatores tam procul à Pauli facultate diſtantes facere verum eſſet. Igitur, vt omnium poſtremum ſe ducebat, ac proinde alienis maximè munendum, ac ſuſtentandum auxiliis, ita in hac bona liberalis mendicationis ſolertia perattentus, & infinitè cupidus erat. Quicquid operis ſuſceptuſeſſet, ſiue imminerent conciones per ſacrum Aduentum, aut magnum Ieiunium, ſiue profeſſio, & legatio obeunda, ſiue quid elucubrandū, antè ipſa munera, interq; eadem, perpetua votorum ſubſidia emendicabat. Nullas dabat iis temporibus ad amicos literas, quin eos rogaret, vt diuinam ſibi clemētiam ad id negotij nominatim, quod præ manibus erat, cōciliarent. Neq; ſolum preces flagitabat eorum, ſed etiam vt ipſi ab aliis

amicis

amicis suis impetrarent alias. Nec rarò quæ cupe-
ret offerri pro se placamina certa nominabat, vt
ad septem in vrbe solennes Basilicas supplicatio-
nem; septem sacrificia ad impetranda sancti Spī-
ritus dona, & alia horum similia. Par indè post
successum operis per se, aliosq; gratiarum Deo a-
gendarum subibat cura. Quin ipsum successum
alienis precibus, ac sociorum præsertim meritis,
nihil sibi arrogans, adscribebat.

Nec verò ad commoda magis aliena per hanc
orandi sollicitudinem, quàm ad perpetuam vir-
tutis suæ perfectionem enitebatur. Vbi sacratio-
res per annum dies interuenirent, vbi nouus coo-
riretur annus, vbi nouum aggrederetur munus,
nouam uē adiret sedem, excitabat se se, collectis-
que viribus, ac multiplicatis precibus, nouo cum
impetu in omnem se laudem dabat. Friburgi qui-
dem anniuersaria cum redirent Tutelarium ciui-
tatis solennia, conferre se in ædem Principem S.
Nicolai solebat: ibiq; in sancti Ioannis Sacrario
vespertinam psalmodiam exequi, & alias addere
prece tanto cum sensu, vt interdum extra se euo-
catus totusq; in Deum abreptus, haud facilè sibi,
tametsi concuteres, redderetur. Sed conatum ad

*Professus assi-
das studium.*

y

per-

perfectionem, quàm intermitteret nūquam, sed in dies redintegrare curaret, vel ipsæ demonstrat literæ, in quibus quocunq; anni tempore scriptis visitata clausula est, obsecrare, vt impetretur sibi facultas à Deo maiore cum perfectione sanctæ societatis Vocationi faciendi satis, vtq; in Dominica messe, cum fructu semper vberiore versetur. Porro qui tam liberalis erat in corrogandis sibi precibus aliorum, nihilo erat parcior in suis vicissim hominum omni generi impertiendis. Quid ille gemituum, atq; piorum clamorum pro periclitante Germania, proq; Ciuitatibus singulis nominatim, pro Hæreticorum Antesignanis, pro vniuerso populo fundebat? Proprias item quotidie pro Romanis Pontificibus, & aliis Christianæ Reipublicæ sacris, ac laicis Potestatibus, proprias pro Societatis Generali Præposito totaque societate, proprias pro iis, apud quos, & cū quibus ageret, pro periclitantibus, & morientibus, pro suis & societatis obtrectaoribus, & aliis quam plurimis faciebat: vsq; eo, vt supra quinquaginta collegisset, & adnotasset diuersa genera causarum, quas apud Deum supplex patronus ageret: cuperetq; iam senior indicem habere Germanorum omnium, qui

*Largissimum in
precatone pro
alio.*

qui nomina in societatem dedissent. Nam cupio,
 aiebat, & eorum & Germaniæ nomine gratias
 vocanti Deo singulares agere, omnibusq; precari
 sanctam in accepta gratia constantiam. Quas in-
 ter preces totus exardescibat, & sæpè in lacrymas
 soluebatur. Quo verò longius procedebat ætas,
 quicquid decessu virium demere cogebatur de
 actione, & labore corporis, id omne ad mentis cō-
 templationem, & supplicationem addebat. Itaq; *In senecta ad-
 auge studiorum
 precanda.*
 Friburgi iam sibi fixerat legem, vt ante sacrificiū,
 quo se ad sacrosancta mysteria compararet, ab
 studiis quamuis sanctissimorum (alia enim
 non tractabat) omni occupatione cessaret: neq;
 eadem nisi post vnam, alteramue horam repetere-
 ret: quarta verò Pomeridiana omninò missa fa-
 ceret, vt quod reliquum erat ocij orationi, Deoq;
 tribueret: vnde fiebat vt septenas in die horas in
 commercio ille diuino, & Beatorum vsu persiste-
 ret, non tam fruens, ac prægustans immortalita-
 tis gaudia, quam mortalium deplorans calamita-
 tes, & miserorum causas defendens. Quod si
 migrantes è terris homines quædam piorum stu-
 diorum; quæ eos mortales tenuere, sequuntur in
 cælum; vt æquum est credere, cum pietas in suo
 illo

illo regno nō languescat, sed in omnes partes perficiatur, haud dubiè Canisius nunc maximè totius agit terrarum orbis Patronum, & ad clientes, ac supplices suos clementissimè aures acclinat. Id pollicetur non studium modo illud precādi singulare, sed etiam immensus quidam in rem Christianā publicā, & orthodoxam Ecclesiam amor, nempe ex amore proinat, quem erga summam Numinis Maiestatem, & Christum Dominum acrem, efficacem, & ipsas penitus depascentem medullas, habebat.

*Zelo divina
gloria & ani-
marum.*

Conficiebatur Zelo Domus Dei, & contabescebat videns stragem labentis Patriæ, ruentesque in Hæresim populos: & clamabat in cælum, & per literas deplorabat, Sal infatuatum eiicitur foras, & conculcatur, nec vigilamus. Perit cum grege Pastor, & cæcus cæcum ducit in foueam: Sed quoties quisquam recogitat in corde suo tantam calamitatem? Obsurduimus propemodum, & ludum putamus infinitam animarum cladē, quæ nostro vitio aut pereunt, aut melius habere poterant, si æquè spiritualia, atq; temporalia, non nunquam & vana, curaremus. Dominus aperiat nobis oculos, vt videamus, & animos commoueat,

ueat; vt ploremus contritiones Israël. Hæc flamma rapiebat virum Dei ad illam tot eodem tempore subeundam laborum varietatem, vt idem concionibus per-tonaret, idem Catechesicon ex-forberet tædia, idem doceret, atq; ad eò digladiaretur in gymnasiis, idē aures confitentibus daret, Nosocomia, & custodias publicas tereret: per cōcreta niuibus, inter hominum, ac cæli iniurias erraret loca: nec ferè vnquam dexteram stylo, tanquam sacro telo nudaret. Vnde necesse erat frangi tandem vires corporis, & inuictam illam animi constantiam, præ carnis infirmitate, demum sub fasce cadere. Inde omnibus clamantibus plus nimio atterere se se, & laboribus enecare, cogitabat nondum se vsq; ad sanguinem pro Dei Ecclesia hostium telis obstitisse: nec quicquam auebat ardentius, quàm vt martyrij certamen offerretur. Itaq; cum aduersus editum à se Catechismū quidam scripssisset maledicentissime, Gratias, aiebat, sancto Iesu nomini agamus, pro quo nomine digni sumus, & vtinam digni, maiora pati, non solum contumelias verborum, sed etiā rebus ipsis iniurias vsq; ad mortem in testimonium illis pro gloria ipsius nominis IES V amen. Cum verò

*Cupiditas
Martyrij.*

inhorrescerent res Viennæ, vti supra narratum est, nisi prohibitus esset, auebat in mediam pro-
uolare flammam: quâquam ipse nunquam im-
memor humilitatis suæ aiebat, Dominus IESVS
rebustam afflictis opitulâri dignetur. Ego non
Medicus, sed Spectator, ac testis adesse cogor cō-
munis huius, & diuturnæ calamitatis. Eodem ex
igni erumpebant ad sociorum roborandam cō-
stantiam, quos interdum non nihil ærumnarum
defatigabat moles, flagrantissimę cohortationes;
quorum vnum haud impigrum sacerdotem per
epistolam confirmat his verbis. Quare non pos-
sum, inquit, non congratulari nobis de hac inuē-
ta Cruce, quam vt patienter, fortiter, & alacriter
pro nomine IESV perferamus etiam atq; etiam
rogo. Nā quod scribis fore vt Romæ fortasse nos
cito complectamur, sicut alias etiam indicaui, nō
eo referri velim, velut nos tæderet, aut pigeret ha-
rum molestiarum, quas in peregrinando, ac visi-
tando subire necesse est: sed hoc demum, vt pul-
cherrimum ita nobis dignissimum, Christo que
gratissimum erit, relicta nos Italiæ, & Hispaniæ
memoria soli Germaniæ nos totos non ad tēpus;
sed in omnem vitam dedere: huic summis viri-
bus,

Sus, & cupiditate maxima penitus laborare, & quandiu ab huius agri cultura non reuocamur, nihil æque sitire, ac germanicæ messis, & bonorū in illa operanorum, nostrorum verò præsertim confirmationem, lætumq; successum. Et aliis ad eundem literis, Breui fortasse Vienna nobis martyres dabit: ex quibus vtinam partem habere aliquam mereamur. Sed in fide, magnaq; fiducia, ac animi virtute inuicta persistamus: tantoq; magis ad arma spiritualia confugiamus, quo fortius imminet, ac premunt hostes Christi, pestes Ecclesiæ, & ministri Satanæ. Quare fratres omnes magis, ac magis, vt in officio confirmentur, & ad pugnam instruuntur decet, quia nunc fortes in acie milites Christi stare, omniaq; aduersa contemneret, & ad mortem quamuis horrendam paratos esse tempus requirit, vt hæc professio iubet in Christo Iesu Domino. Is gratiam nobis suam augeat, vt in hac tot modis dissipata vinea quibuscunq; modis possumus indefesse laboremus: & in lacrymis seminemus, quæ aliquando in exultatione metamus.

Ex eodem flagrantissimo caritatis æstu oriuntur ardentissimæ illæ preces, assiduæq; vocifera-

*Precatio ardor,
Et quædam col-
luctatio cū Deo.*

ferationes ad Deum, sacrificia, ieiunia, vigiliæ, & omnia afflictationum genera, per quæ pereuntibus animis misericordiam æterni Numinis aduocaret. Euenit quondam Viennæ, vt P. Georgius Shererus tum iuuenis, deinde vir & actione virtutis, & Euangelij prædicatione clarus, ex Canisij conclaui personantibus excitus clamoribus per feræ foramē immitteret oculos inspecturus, quid esset rei. Dum autem curiosius & lumina, & aures admonet, videt prouolutū in genua Patrem, auditq; cum Deo in oratione non modò instar Patriarchæ Abrahæ cum animi, & vocis contentione magna colloquentem, & disputantem, sed velut Iacob luctantem cum Angelo, velut Moysen in confractione positum in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne miserrimas septentrionis gentes disperderet. Quo precandi genere ipse met se optime vsum demonstrat, cum Cananæ Euāgelicæ perseuerantem instantiam explicans illud tam aptè describit. Quid autem, inquit, istud est aliud, nisi vt Scriptura loqui solet, toto pectore clamare ad Dominum, seu inuocare, adcoq; cum Deo pugnare, & omnipotentem capere, ligare, vincere? Nimirum seria, forti, constanti, & ardenti pre-

ti precatione? Quam orandi rationem tenuit & Propheta Moyses, cum ardentè inuocaret Dominum, & iratū laboriose placaret, vt sceleratus populus pœnas non lueret peruicaciæ suæ. Nam velut renitentem, & ad vindictam paratū Deum ita suis precibus mutauit, ac flexit, vt is quasi vim passus, atque ab orante superatus responderit, Dimitte me, vt irascatur furor meus. Nec est dissimile, quod Ieremiæ precanti respondit iratus Deus. Non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Dei enim potentiam serui preces impediabant, inquit Hieronymus. Cur ergo non libenter, & frequenter mea & aliorum lugentium, siue pœnas promerentium causa preces fundam, licet optatam gratiam non statim impetrem?

Deinde ad alia conuersus remedia, cum rerum circumspecto statu, vidisset maximè destitutas regiones & salutaribus libris, & idoneis viris, qui operam, vocemque viuam conferrent: ad hæc duo præsidiorum capita ita curam aduertit, vt haud temerè quisquam de Germania melius in alterutro meritis sit. Nam præter raræ utilitatis monumenta, quæ ipse edidit, quoscunq; nancisci potuit ad scribendum idoneos omni ope incitauit,

Librorum bonorum inopia solertissime subleuati.

citauit, inruit, prouexit. Typographos excitauit, sibiq; conciliatos adduxit, vt vtilis pietati libros excuderent, multosq; ab se recognitos edendos curauit in omni genere. Itaq; cum omnia prius Hæreticorum venenatis libris, libellisq; plena essent, addita etiam formæ venustate, & characterum, & linguæ fraudulenta illecebra; nec quoquam catholicis hominibus porrigere manum liceret, quin inciderent in eiusmodi pestes: cum ipsi met Hæretici consarcinassent quàm plurimos novos, veteres autem omnes foede conspurcassent, Canisii mox in primis factum est cura, vt nullo in genere codicum vel innoxiorum copia, vel piorum deesset: quos etiam Dynastis, opulentisq; viris autor erat, vt emptos de suo per populū gratuito ferendos curarent. Literas Patrū nostrorum ex Indiis missas, cū expertus esset ad exsuscitandā in multis veterum Christianorū languentem iam pietatē nouę illius Ecclesię sanctū feruorem valere quàm plurimū, nihil non egit vt vulgare apud oēs posset. Ipse met multas latinè conuertit, multas ab aliis conuertendas curauit, nec destitit, quoad Ioannes Petrus Maffeijs eū laborē ex instituto suscepit. Ad extremū egit cum Prepositis

fitis Generalibus, vt haberent in societate homines vni aduersus Hæreticos scriptioni operatos. Quod cum sæpè egisset antè, vt à nobis quoq; supra est indicatum, affirmans putare se vix quicquam rectius, ac præclarius ad communem Ecclesiæ profectum ab societate institui, ac peragi posse, permansit in iis votis ad extremum vsque; & anno tertio, & octogesimo seculi eadem Præposito Claudio Aquaiuiæ his verbis exposuit. Quoniam diuina bonitas ex variis nationibus multos præstantes, solideque doctos Theologos huic suæ societati suppeditat, quorum quidem vsus aduersus Hæreticos, grauissimas Ecclesiæ pestes, hodie grassantes maximus, ac vtilissimus esse potest, etiam atq; etiam Paternitatem tuam indignus licet filius rogo, ac obsecro, vt ex multis huiusmodi Theologis non Germanis, vel paucos seligendos, atq; in matura contra hos pestilentissimos Ecclesiæ Catholicæ aduersarios scriptiõne occupandos curare dignetur. Nam & Christi honos, & communis Ecclesiæ profectus, & peculiaris ratio societatis huius, quæ à pluribus, & petulantioribus hostibus, vt arbitror, appetita nunquam fuit: ac demum plurimorum imbecillitas,

Operabat in Societate designari, qui scriberet contra Hæreticos.

qui nostrorum silentio non parum offenderentur, quodammodo flagitare videtur, vt delecti quidam è nostris non viua voce tantum, sed & calamo veritatem Catholicam publicè tueantur, seq; huic seculo prudenter accommodent, *actorum* ingeniorum, & studiorum fructum ob præsentem Ecclesiæ necessitatem è sancto zelo declarent. Nec dubito hanc præclaram operam instituto nostro vel maxime consentaneam esse, neque minus valere hoc obedientiæ, & caritatis officium, quam illud, quod nostri Barbaris Indiæ ad fidem Christi conuertendis impendunt. Dominus Iesus ad sui nominis gloriam dirigat omnia. En quantum vir sapiens in hoc scribendi certamine reponebat. Volebat tamen per acrem adhiberi censuram, prouideriq;, ne quid emitteretur in vulgus, quod non benè firmum, ac solidum, & accommodatum ad Reipublicæ rationes, deniq; societatis autoritate dignum esset. Volebat scriptores diligēter cauere, ne mordaciores essent, ne scommatis vterentur acerbis, sed Christianam vbiq; & religiosam modestiam obtinerent. Quod non modo à nostris exigebat hominibus, sed ab omnibus, qui contra Hæreticos scriberent.

berent. Itaq; ad Virum benè doctum, & sibi per-
familiarem, posteaq; Episcopum, à quo iudican-
da scripta quædam acceperat, hæc inter alia scri-
bit. Habeo viros doctos hæctenus mihi consen-
tientes in tuis nimirum scriptis multa dici molli-
us posse, præsertim vbi falsas allusiones immisces
de nomine Caluini, Melanchthonis, & similium.
Rhetorum est, non huius temporis Theologorū
hisce flosculis luxuriari. Non sanamus ægrotos
hisce pharmacis, sed potius reddimus insaniabili-
ores. Cordate, & mature, sobrieq; defendenda ve-
ritas, vt modestia nostra nota sit omnibus homi-
nibus; & si fieri queat, testimonium etiam ab iis,
qui foris sunt, accipiamus. Quocirca nolim an-
sam Germanis tribuas, vt iuuenilē potius in hoc
scripto, aliisq; feruorem noui scriptoris incusent,
quam grauitatem, & lenitatem Theologo pio di-
gnam ament, commendentq;. Tantum amabat,
talesq; scriptores Canisius, ac nobile tanquam ar-
mamentarium per hoc eius studium fortissimis
instructum telis omne genus effectum est, vnde
non mediocriter & nobilitata res Catholica, &
communita.

Vt vero suppeteret copia idoneorum homi-

*Qua industria
incipiam opera-
riorum Evan-
gelicorum la-
uarit,*

num, qui re ipsa, admouendaque ad opus manu publicam rem iuuarent, tum teneræ ætatis institutionem per studiose complectebatur, & enixè fouebat, tum suscipiebat erigendos, subleuandosq; impeditos difficultate domestica adoleſcentes, qui præ se indolem ad studia habilem ferrent, eos piorum benignitate alebat, inq; literarum, ac virtutum educabat studiis, vt ex iis Curiones, alique sacrorum administri sobolescerent. Inde Præfulibus autor erat Contubernia discētium in suis Dioecesebus excitandi. Inde Collegium Germanicum in Vrbe Roma semper vsque adeo fouit. Quippe ipse mittendos eò conquirebat adoleſcentes, eosdemq; optimè animatos mittebat: nec desinebat deinceps ad officium per literas inflāmare: stipem quoq; vnde Collegij tenuitas ante Gregorium XIII. leuaretur, studiose corrogabat. Demum reuersis in Germaniam locum quæritabat, & conditionem expromendæ industriæ. . At vbi opus adeo salutare eius maxime monitu Gregorius suscepit, idē autor fuit, vt per Germaniam quoq; id genus Seminaria ponerentur, & præclara conscripsit monita, quibus ita primo disciplina domestica regeretur, tum ad publicam lucem inde

inde alumni transferrentur, ut in Ecclesiæ vsum
quod maximum id instituti per se saluberrimi genus
cederet. Præterea viros doctrina, ac religione pub-
lice commodos vndique aduocandos curabat; suade-
batque iis, penes quos rerum gubernacula erant, ut
ab latere eos haberet. Postremo ut societas quoque
abundaret operariis suis, nunquam desiste-
bat precum assiduarum contentione Præpositos
Generales urgere, ac propemodum fatigare, ut ex
Italia, ex Inferiore Germania, ex Hispania ipsa sup-
petiæ mitterentur. Ex qua religiosa flagitatione
lumina illa Germaniæ data sunt, Theodoricus
Canisius, Alfonsus Pisanus, Hieronymus Turria-
nus seu Torrensis, Laurentius Magius, Gregorius
Valentia, aliaque quam plurima. Ut profiterentur
ipsi Præpositi cum alia natione nulla æquè Societa-
tem fuisse in subsidiis mittendis benignam. Quip-
pe quanquam ubique laborabatur sociorum inop-
ia, tamen cum periculum per se regionum, tum
autoritas, & assidua Canisij flagitationes decora-
tæ humillimis conditæque precibus, faciebant, ut
earum potissima ratio, vel non sine aliarum par-
tium incommodo haberetur. Qui quantopere
cum subsidia noua submitterentur, gestiret, ex il-
lis

lis intelligere est eius Epistolæ verbis. Benedictus Dominus, inquit, qui misericordiam suam fecit nobiscum, dum exoptatos fratres, & operarios novos mittitis. Respiciat Dominus hanc nouam oblationem vestram, vt iuxta desiderium nostrū impleat omnes eo zelo, & spiritu, quem Germaniæ nostræ morbi requirūt in ministris Ecclesiæ. Maius ego in his tenebris, & miseriis gaudium nō expecto, quàm cum mitti video à Domino missos eos, qui se & sanguinem suum offerunt Deo, & Sanctis eius pro tot in Germania pereuntibus. Ille aut̃ ne planè videretur ingratus ad Collegij quoque Romani, vnde in totum septentrionem ea tempestate educabantur operæ, leuandam, quæ summa erat, inopiam, identidem ex locupletibus emendicatam mittebat stipem. Necessè erat in eo vim facere modestiæ suæ: nec dissimulabat in arte se (ita enim appellabat) sancti Francisci haud multū valere; tamen Caritas animarum omnia pervincebat. Euenitq; semel, atq; iterum, vt, cum Romę Patres articulo necessitatis pressi certa summa in diem certam pendenda egerent, diesque pensionis adesset, nec mutuam alicunde reperire potuissent, antequam dies exiret, syngrapha perferre-

*Inuat Collegij
Romani ino-
piam.*

ferretur Canisij, quæ tanquam diuinitus missa, eas ipsas, quæ desiderabantur, continebat summas. Ita Dominus fidele sui Procuratoris officiũ approbabat, gratusq; ipsa opportunitate reddebat.

Existimabat autem Canisius proprio quodam munere ad Societatẽ pertinere in restituenda per Aquilonis plagas religione eniti; ingentique animo, atq; adeo optima spe suscipiendam eam pro uinciam, cum aperta vocantis Dei, egregieque fauentis haberet pignora. Primũ quod sub id tempus, quo grassari per ea loca cœperunt hæreses, societatem Deus excitauit, eoq; instituti genere, ea Romanæ sedi obedientia, ac deuotione, vt appareret idcirco maximè procreatam, quo furiarum illarum impiæ contumaciæ opponeretur. Deinde quod B. Ignatius Germanicas res ita suscepit, vt superet prope fidem, quæ ad exordiendum, ac sustinendũ Germanicum in Vrbe Collegium, moliri, perpetiq; non dubitauit. Idemq; è primorum Patrum numero quatuor vni Germaniæ, Petrum Fabrum, Claudium Iaium, Alfonsum Salmeronem, & Nicolaum Bobadillam dedit: cum vniuerso terrarum Orbi, præter ipsum Ignatium, qui

Societati purabat præcipua cura inuadum Septentrionem.

Aa sedem

sedem in Vrbe fixerat, & Ioānem Codurium qui migrarat in Cælum, haud plures, quàm alteri totidem reliqui fierent. Ad hæc pro minime obscura diuinæ voluntatis significatione numerabat tantam, tam breui tempore, tam propenso Procerum studio Societatis per omnem Germaniam, domiciliis etiam non mediocribus constitutis, propagationem. Adeò promptos populorum animos ad excipiendam ab ea culturam, adeò numerosam iuventutem, quæ vndique confluens tam cupide in eius disciplinam Christianis instituendam literis daret. Eodem pertinere ipsam Hæreticorum confessionem, qui passim vel inuiti proderent ab nullo se hominum genere maius perpeti bellum, & maiores clades accipere. Hæc animo versanda censebat Canisius hominibus nostris, vt quod vocati essent ad opus, & institutum agnoscentes, talibusq; freti prouidentiz diuinæ pignoribus, alacres darent se in eam dimicationem, magnaq; constantia contra suborientes difficultates in spe contra spem nitentes, considerent, etiamsi successus non appareret, nec responderet optatis, tamen gratum esse Deo ipsorum certamen. Quod quo solertius fieret, vigilandum cense-

ensebat Prouinciarum Præpositis non modo vt bona semper diuini verbi Præconum suppeteret manus, ac literarum studia, inprimis linguarum florerent, vt quo illinunt Hæretici melle venena, eodem Orthodoxi lenire medicamenta possent; sed etiam vbi de more Collegia inspectarent, nominatim inquirerent, & quasi rationem reposceret, quid proprie anno proximo ad restitutionem Ecclesiæ tentatum, deque nouo inceptum esset: quam multi ab errore deducti: quot in recto calle retenti, confirmatique, & huius generis alia.

His autem ipse curis non modo publicam religionis rem immensum iuuit, sed etiam Societatem per septentrionis regiones illustrauit vsq; eo, atq; disseminauit, vt meritò parens haberi debeat Prouinciarum quatuor, Austriæ, & Germaniæ superioris, tum Rheni, atq; Poloniæ. Nec de prioribus duabus dubitatio residebit, q̄ quæ supra narrata sunt, viderit, ac meminerit. Atqui Rhenanā quoq; ei deberi planum est, qui primos Coloniæ socios etiam patrimonio aluit suo, & ad beneuolentiam Carthusianorum Patrum, multorumq; Ciuium aditum eis patefecit. Primus deniq; cum Leonardo Kesselio relictus à Fabro est colonus

Quantum Societatem illustrauit, ac propagauit.

eius domicilij: vnde singulari studio eam Ciuitatem, vnaq; Collegium in omni vita est prosequutus, & commoda vtriusque nunquam venari, & curare destitit cunctis viribus suis. Porro Collegium Treuirense, Moguntinum, Herbipolitanū, Antistites earum vrbiū Canisij communi auctoritate susceperunt condenda: cum illo prima seuerē consilia: ille apud Præpositum Generalem promouit. Poloniæ vero notam ipse societatem & coram, & per literas fecit. Stanislaum quidem Hosium, qui Brunsbergense Collegium Poloniæ Prouinciæ, primū semen, posuit, virtutes eius conciliauere. Quid multa? Tam celebris per ea terrarum sola viri incedebat fama, vt imperiti rerum, & ante omnes Hæretici ipsum ferrent Canisium autorem familiæ Iesuitarū. Iure igitur quodam per studiosum eum religionis communiter, tum sodalitatis priuatim huius administrum vsque ad ea tempora reseruauit, idque ei solatij, & gaudij præbuit bonus Dominus, vt pariter hanc late propagatam, atq; illam tot velut propugnaculis communitam vidēret: vtrumque suarum fructum, nec leue pretium ærumnarum.

Annum

Annū iam ætatis obibat quintū supra septuagesimū: diūque sacra illa tuba æuo, ærum-^{ultima eius concio.} nisq; labefactata siluerat, cū ædícula, quam Patres, dum Templum extrueretur, temporariam concinnarāt, solenni cæremonia ab Antistite dedicanda fuit. Visum est ad cohonestandam celebritatem, & exhilarandum populum Friburgensem, vt Canisius ex longo interuallo ad concionem prodiret. Quod cū emanasset futurum, multos expectatio vocis eius conciuit. Vbi vero ex superiore loco apparuit, venerandi senis ipse conspectus, os illud maiestate plenum, atq; modestia totam concionem pia quadam lætitia, ac voluptate perfudit. Differuit de Societatis institutis, muneribusque. Quāobrem Collegia, & scholas haberet: quid ita nobilis ea Respublica tanta impensa templi illam, ac domicilij præclaram molem extrueret, & alia loco, ac tempori opportuna. Quæ cum languida vox ex fatiscente, & exhausto missa corpusculo ægrè perferret ad aures, pascebantur homines sapientissimi senis, & tanquam Apostoli sui (sic enim habebant) spectaculo: & aurium desideria luminibus supplebantur.

*Mirabiliter
p̄fert etiam
nummum
absente.*

Suprema illa fuit diuini Præconis publica vox & suggestu. Cuius apud Friburgenses auctoritatem diuinæ etiam quædam significationes augustiorem faciebant.

Erat Friburgi præcipua vir auctoritate, pietateque Guilielmus Krumenstollius inter Senatorum primores. Ei, dum domum è Monasterio Altdorpiæ, quod horæ spatio Friburgo distat, reuertitur, immersus, ac prolapsus in cœnum equus subiectum crus oppressit. Fortè solus ipse (comitem enim præmiserat) & brumale tempus, & vespera extrema erat. Diu luctatus, cum nec ad excutendum iumentum, nec ad extrahendum crus sufficerent vires, nimirum humanis destitutus, ad diuina præsidia versus est. Venit in mentem quanta Reuerendi Patris Petri Canisij apud Deum gratia, quanta merita essent. Itaque per ea quoque nominatim merita inter alias Patronorum suorum aduocationes opem à Deo supplex poposcit, haud fane frustra. Mox ocreis sub equo inter cœnum hærentibus incolume crus liberat: deinde & caballum excitat, & prospere domum refertur. Quinto post die casum prope oblitus, Canisium adit, seu salutandi, seu alia gratia: dumque alia agit omnia,

nia, vltro ei Pater. Eia Domine, inquit, quid rei proximis hisce diebus euenit? ad sancti Antonij ædiculam sero diei quid factum est? Quam ad vocem Guilielmus, partim attonitus vnde ea Patri enotuiſſent, cum quidem ex relatu ſuo aſpirare ad eum nullo modo potuiſſent, partim erubescens, ingratiq; animi ſe ſe damnans, etiam, atque etiam agere gratias inſtitit. Bono animo iuſſit eſſe Caniſius, & ea ſe viuo clam habere.

Præpoſitus Veronius Caniſij admirator è primis, id profitebatur ſibi mirabile eueniſſe. Pecuniariam litem habebat pmoleſtam, longinquā, deniq; perpetuarum, vt aſſolet, rixarum, offenſarumq; perennem fontem. Itaq; prudens, ac pius ſacerdos deſperata re meditabatur damno pecuniæ mentis tranquillitatem redimere; ſuoq; iure cedere, ne pariter detrimentum alioqui & pecuniæ, & caritatis, animæq; faceret. Incidit tamen conſilium, vt ante Caniſij precibus deploratam adeo commendaret cauſam. Libenter eam recepit Pater, & apud diuinum Iudicem ſedulo egit: obtinuitq; ſic, vt eodem die lis ſecundum Præpoſitum finiretur: dieq; ſequēti litigatores duplum ei perſoluerent eiſ ſummæ, quam lite ipſe perfe-

que-

*Difficillima li-
ta exitum bo-
num ſubito
impetrat.*

*Punitur homo
patrum obe-
diens.*

quebatur. Ad hæc obseruata est tanquam immixta diuinitus commonitio populari homini quo Canisius utebatur amanuensi. Volentem cum præmaturè domum abire rogauerat multum Pater, vt etiam num paululum immoraretur, sibiq; dictanti nauaret operam. Homo alioqui, nec ignauus, nec malus, seu quo stomacho, seu tædio actus nullis flecti, aut teneri precibus potuit. Vix autem è Collegio pedem extulerat, cum ignotus quidã obuiam factus impacto in faciem immanni colapho, malè mulcat. Nempe vt post illa minus durum os aduersus æquas amicorum Dei postulationes ferret: & malo frõs domaretur, quam verecundia non regebat.

*Quo modo se
Canisius ad
mortem com-
parauit.*

Iam vero ingrauescente in dies valetudine, quicquid virium reliquum erat prouide homo Dei cõferre ad decretorium illud æternitatis momētum feliciter exigendū. Totus in vitam illam vitalem, ac beatam prominebat: eam sic anhelabat, vt quicquid vel loqueretur, vel scriptitaret, in eo maxime argumento versaretur. Duos, qui Romæ supererant, vetustissimi Societatis fratres, & ipsi bonorum dierum, atq; factorum pleni, salutaris sic iubet. Salutem quoq; dices ex me Carissimis

mis Fratribus Ioanni Paulo, & seniori Auilæ: mihiq; placeo, quod habeam vtrumq; Domino prome supplicantem. Utinam in nostris animis vigeat, & quotidie crescat futuræ, & immortalis vitæ cupido, vt rebus humanis exempti cum primis illis Patribus, qui nos cupide præstolantur, visione diuinæ læti perfruamur. Et ad Gregorium Rosaphium Augustam scribens ait, Benedictus fons ille bonorū, per quem augetur senibus torpor, fastidium, obliuio, incuria, molestia, & reliqua id genus incommoda, quæ nos in fragili tabernaculo habitare, & ad meliorem vitam tendere hortantur. Age Pater communes illi agamus gratias, in cuius manu sortes nostræ versantur. Ergo semilibus lætum cruciamentis, vt vitæ præsentis ædium, ac futuræ auiditatem concientibus, illud habebat maximè ægrū, quod expers communis rigoris cogeretur esse, videreturq; sibi immunitate, atque indulgentia illa non perinde ac deberet, ad virtutis profectum vti. Has ob causas, & ante omnia pro singulari sua erga Præsides verecundia, atq; veneratione, cum Præposito Generali cuperet ex se quam cumulatissime satisfactū, has ad eum literas dedit. Totas enim tanquam

Bb

since-

sincerissimæ mentis speculum, & consummatæ
prope vltimum sapientiæ documentum inferre
re opportunum reor.

Pax Christi Iesu nobis æterna.
Admodum Reuerende
in Christo Pater.

*Estera quibus
supremam à
P. Generali be-
nedictionem
precatur.*

INter alias consolationes, quæ mihi decrepito fere
seni suppetunt, ea vel maxima videtur, quod pa-
cem integram sentiam cum superioribus, quos in
bac Societate summus Deus loco suo mihi prefixit.
Ego igitur, qui iâ pridem, utpote anno 1549. meam
Romæ professionē sanctæ memoria P. Nostro Igna-
tio obtuli, iamq; natus annos 75. ad cuncta pene bo-
na inutilis fio, presenti scripto ea complecti cupie-
bam, quæ ad veram pacem cum P. V. R. ut institu-
ti huius primario Antistite ineundam, ac stabilien-
dam haud parum facere videbantur. Ex his primū
statuo, quod & cordis, & corporis mei flexis geni-
bus oro supplex indigno mihi condonari quacunq;
ratione non modò Deum optimum Maximum, sed
& ipsum Christi Redemptoris quintum Vicarium
clam,

clam, palamque offendi in hac sublimi vocatione. Offendi autem saepe numero, & grauiter, pro dolor, quod suscepto ante muneri multis ab hinc annis male responderim: maxime cum inter Professores agerem Prouincialem, concionatorem, & scriptorem multis de causis reprehensibilem. Meam quoque culpam agnosco, quod in Collegiis velut alij non professi habitarem hactenus, multasque commoditates, quae religioso pauperi non congruunt, admiserim ex indulgentia superiorum. Tandem ab officiis Societatis nostrae propriis liberatus, in cubiculo cibum capere, & in priuato sacello sacrificare coepi, iamque nec domesticis, neque externis fraternum auxilium praebeo. Ita piger, otiosus, & socors ego velut arborem sterilem, quae proxima est ruina, praemefero: indignus & pane, quo vescor, & fratrum subsidiis, qui suam Caritatem ingrato exhibent. Fateor hac officia mihi valetudinario, vel seni, vel omnino seniori gratiose concedi, ut senectutis onus in hac molesta aetate lenius feram: sed iure doleo, veniamque precor, obseruande Pater, quod eiusmodi priuilegiis ad Dei gloriam, meaeque salutis, & debita gratitudinis usum non utar diligentius, praesertim, ut ad iter proximum meas colligam sarcinas, ac mundo

mortuus nouissima mea recogitem accuratius, ut
 vocante me Domino, verè paratus, & seruus vi-
 gilans deprehendar. Quapropter etiam atque etiam
 precor P. V. ut pro eximia pietate sua me vilem, ac
 infrugiferũ siue filium, siue palmitem aeterno Crea-
 tori, præsertim inter sacrificandum aliquando com-
 mendet: ac deinde ut me, licet indignũ, participem
 faciat priuilegiorum, & gratiarum spiritualium,
 quarum potestatem ad suorum filiorum consolati-
 onem accepit à sancta sede Apostolica traditam: ac
 demum ut aliquam impuro mihi pœnitentiam in-
 iungat ad uberiores paternæ benedictionis gra-
 tiam per qualemcunque substitutum misero elargi-
 endam. Datum Friburgi Heluetiorum, Kal. Au-
 gusti, 1596.

R. P. V. inutilis filius Petrus Canisius.

Responsio Pa-
 tris Generalis.

Ad has literas quemadmodum Claudius Ge-
 neralis rescripserit, si quem nosse iuuat, exemplũ
 est tale.

Summa cum animi mei voluptate, ac letitia le-
 gi literas R. V. in quibus videbam quo ipsa sen-
 su de se scribat, & qua cura Domini aduentum, me-
 lioremque vitam expectet. Benedictus Deus, qui hæc
 inspirat R. V. ut ita sui similis perseveret, fratresque
 nostros.

nostros, quos hactenus laborando adificauit, nunc etiam in hac quiete virtutis suae exemplo, & humilitate, patientiaq; cōfirmet. In quo quidē & nos ipsi absentes plurimum recreamur, ac gaudemus simul exhiberi ab ipsis, quod R. V. debent officium, & caritatem. Quam ita velim in omnibus admittat, eaq; liberē utatur, uti persuadere sibi debet nobis id semper fore gratissimum. De cetero Christum Dominum obtestor, ut R. V. eam cursum hunc iuxta voluntatē suam consummare, & ante actos labores nouis in dies meritorum cumulis augere tribuat. Ego vicissim ipsius precibus, & sanctis sacrificiis me, ac societatem plurimum commendo. Roma 5. Octobris, 1596.

Cum igitur iam vires prorsus ad alia deficerent, aliquot ante migrationem mensibus vitæ supremam clausulam sane toti ante actę congruentem ad hunc modum instituit. Sanctorum vitas vel lectitabat, vel audiebat ex Anagnoste. Illæ

*Qua lingua
custodia & li-
mi mensibus
steretur Ca-
nism.*

materiam offerebant Deum collaudandi suis in Sanctis: utque eorum labores vice suorum, à quibus iam cessare cogebatur, offerret. Parcus loquēdi cum semper fuisset, tū plane parcissimus erat; multoq; libentius commodabat aures piē disse-

rentibus, quàm ipse differeret. Nō enim senectus est garrula, nisi cuius priore in æuo lingua fuit effrænis. De Religiosa perfectione, & rationibus eius comparandæ, de primorum societatis Patrū accensa pietate, de proximis adiuuandis suauiter audiebat. Tum verò maxime triūphabat, si quod narraretur ad Ecclesiam catholicam factum vspiciam incrementum. De rebus humanis, maximeq; de Principum Christianorum inter se diffidiis omnino sermones auribus respuebat: nec mentionem minus refugiebat omnem, quæ ad commendationem sui, rerum uē ab se gestarum redundaret. Quod si quid tale interrogaretur, nihil responsi dabat. Nihil cuiusuis generis ex quoquam non modò curiosius sciscitabatur, nisi si interdū, quam multi sacramenta frequentarent, quam multi rei diuinæ, concionique interessent, quid quis ex concione obseruasset, ac reportasset frugis, & alia, quæ ad profectum virtutis attinerent. Conseruauit ad vltimum vsque immensam illam erga Christianam rempublicam caritatem: quasq; ante multis, variisq; laboribus ad eam iuuandam dispertiebat curas, iam ferme omnes in vnam conferebat precandi assiduitatem. Itaque
pro

*Zelū cōmuni
boni ad vlti-
mum conser-
uauit.*

pro communi cœtu fidelium, pro Pontifice Maximo, pro Christianis Potestatib⁹ assidue prosternebat ante Deum cor suum, & spiritum effundebat: Et litanias recens editas pro felici Ecclesiæ statu, quarum exemplum ab Apostolico Nuntio acceperat, nullo die nō exquebatur summo studio. Sanctos vero Patronos earū Ciuitatum, quæ à recta fide defecerāt, singulari pietate venerabatur: idq; vt alij facerent, magnopere laborabat: primū vt quodammodo suppleretur honos, quo suis in Ciuitatibus fraudabātur ab impiis: deinde vt per eorum patrocinia desertoribus ipsis misericordia Dei placaretur. Nullū prætermittebat diem, quo non semel, atq; iterum, atq; adeo sæpius Deiparæ rosarium orando percurreret. Nec habuit quicquam in languore molestius, quam quod furtim erepto à P. Rectore etiam Breuiario coactus est ab sacerdotali psalmodia, & Missæ sacrificio abstinere. Ceterum in cōtemplationes diuinas ita auferebatur, vt qui videret habitum contemplantis, plane intelligeret animum quasi corporis oblitum in Cælo peregrinari, & iam tum Beatorum choris interesse. Nec vero contentus erat precibus suis, sed cum alienas, quæ memorauimus instantia,

Totius in orationibus effunditur.

Et aliorum precibus humiliter maxime interroget.

stantia, corrogasset semper, tum sine modo, ac fine comquirebat, rogans & coram, perq; literas amicos, non modò vt ipsi pro se apud Deum supplices essent, sed alios etiam quā plurimos ex suis quisq; fociis adhiberet. Aiebat enim cupere se vt eiusmodi comprecatores quam plurimi sibi cōtingerēt, qui sua pietate tam ærumnosum senem subindè fulcirent, ac sustentarent. Quas preces vt cupide postulabat, ita consequutus maximi faciebat. Pridie sancti Nicolai forte literas accepit, quibus complura sacrificia, tum rosaria, psalmi, litaniæ, & huiusmodi precationum numerus ingens deferbatur. Quas literas dum legit, ea concitauit mentem lætitia, sic emicare coepit ex vultu animi gestientis diuina quædam hilaritas, vt qui præsens aderat socius, totum os angelicis velut radiis intueri sibi coruscans videretur. Subiit deinde, maius illud esse donum, quam vt vnum perfrui ipsum deceret. Itaq; postridie thesaurum omnem positis in disco literis, quibus consignatus erat, sancto Nicolao obtulit, vt inter Collegij socios, qui omnium maximè indigerent, ipse distribueret.

*Inuisentibus
reflexa radiis
monita.*

Inuisentes, qui non pauci cum è laicis, tum è
sacris

facris hominibus ventitabant, nunquam omittebat cohortationibus piis ad virtutem incendere. Et quidem de sacro Capuccinorum Ordine duos sexto ante obitum die ita est allocutus. Patres non mediocri afficior gaudio, quod in optimo statu versemini, & eiusmodi vitam viuatis, quæ alios trahat exemplo. Vos igitur obtestor, ut coeptum magno animo persequamini, & cursum tam salutarem consummetis. Similia pios alios adhortabatur viros, quos magnopere semper veneratus est, & sermones cum eis de adipiscenda perfectione iucunde contulit. Cum ægrotaret Franciscanorum Custos nihil curare aliud videbatur: adeo frequens percunctabatur de illo, precibusque pro eius valitudine instituebat. Cognita autem morte Vicarij Friburgensis vehementissime ingemuit, quod vtilis Ecclesiæ viri eriperentur, ipse verò iam inutile pondus relinqueretur. Acceptis literis ex Inferiore Bauaria, quas nobilis femina per certum nuntium miserat, opem implorans aduersus Dæmonem, quo vexabatur: seque ipsam Friburgum mox venturam testificans, modo speraret superstitem inuenturum, ubi eas literas legit, confusus cum graui suspirio, Heu quem

Miseretur alie-
notum est
1771.

Cc

me,

*Sua exquisito
animo tolerat.*

me, inquit, homines faciunt, cum tam multi sint illic docti, idoneique viri. Nec tamen quicquam sumpsit quietis, donec rescripsit, remedia quædam proponens, ac deinceps pro ea preces ad Deum promovere non cessauit. Tantam in malis alienis cum adhiberet misericordiam, parem adhibebat in suis patientiam. Omni tempore benedicebat Deum: semper Dei laus in ore eius. Totum corpus, sed pedes foedissime intumuerant, Laus Deo, aiebat, quod tam pinguis sum. Cumq; morbus ingrauesceret, semper laus Deo sit, augefcit morbus. Quicquid ei adhiberetur ministerij, cōtentus erat; Deoq; laudes, & gratias persoluebat. Forte per longiorem absentiam fratris, à quo curabatur, lapsus è sella, cum vires ad se se erigēdum non sufficerent, diu sic humi iacuit: vbi ille rediit, & subleuatus est, vnū hoc dixit, Gratiago Deo; quod me tandiu solum reliquit: sed nihilo minus inter nos, quæ adhuc fuit caritas, posthæc permanebit. Interrogatus quare semper benediceret Deo, non & aliquando suas cum eo miseras quereretur, statim subiunxit, Non mi frater: Ego semper Deum etiam in aduersis laudare consueui. Attenuatū sic erat corpus, vt nec sedere iam, nec recuma-

recumbere sine dolore posset, nec raro multum cutis, ægre coherentibus ossibus, detereretur. Igitur in eo cruciatu noctes, ac dies agenti, forte excidit; Frater, nōne possemus aliquid mollius substernere? Vixq; finierat, cum continuo tanquam experrectus reprehendit se se, subiecitque, nihil præterea, nihil est opus: corpus non tam indulgenter tractandum est. Medentibus singularem præstabat obedientiam: quanquam interdum diceret, silicernio non opus esse medicamentis, quod migrandum esset ad Patres.

Cibo ita utebatur exiguo, ut eo videretur humana vita naturaliter tolerari nō posse. Vix enim Octiduo tantum sumebat, quantum alius quivis unico prandio: ac sæpe numero pransus permodice more suo, ad insequentis diei prandium nihil prorsus seu cibi, seu potionis gustabat. Haud minori miraculo erat abstinencia hominis senis à vino: nam & per pauxillum id, quod adhibebat plurima aqua perdebat magis, quam diluebat. Nec semel per administri obliuionem euenit, ut nulla re ad bibendum apposita siccos obduceret dies, eoq; nec suam prodente sitim, nec alienam incuriam querente, sero iam aliunde res noscetur.

*Cibi mira
paritas.*

tur. Nimirum ex longa totius vitæ disciplina tantæ sibi virtutis assuetudinem fecerat, planeq; corpus redegerat in animi potestatem. Erat cibus de communi fere toti Collegio, isq; vnus omnium arridebat suauissimè: nec vt præparcū suum vnquam excederet modū, poterat impetrari: multo minus vt indicaret eccuius nominatim rei desiderio teneretur. Quo tamen in genere cum diutius prope vexatus tandē auiculam nominasset, euenit, vt eo die nulla nec aliunde, nec in foro venalis reperiretur. Sedebat ergo die iam præcipiti frater in cubiculo mœrens, quod postquam adeo bonum Patrem percunctando obtuderat, eius semel cognitę voluntati gerere morem nequiret, cum repentē inuolat per fenestram auicula, & facillime capi se finit. Eam velut diuinitus missam lætus coxit, Patriq; dedit. Quam is vbi comedit, laus Deo inquit, quam opiparam cœnam hodie habui? nec præterea quicquam attigit in ea cœna. Ceterum tota eius ratio vescendi continens videbatur oratio. Ad singulas buccellas, & forbitiunculas, vel Deum, ac Christum Iesum, vel cælestium aliquem inuocabat, à signo Crucis exordiens, & in SS.^{ma} Trinitate desinens. Quæ faciebat

*Auicula ei
deditur diuinitus.
tum probata.*

bat adeo placide, occulteque, ut nisi quis attente animum aduerteret, non sentiret. Nimirum fructus hi quoque in extrema ætate, ac semiuiuo iam corpore existebant ex contracto iam sensibus integris, & confirmato usu, ut pasceret animū semper magis, quam corpus. Inde etiam fiebat, ut omnia probaret, ac magnificaret: & quicquid esset appositum, ubi ritu suo per inediam esset refectus, subiungere ad extremum consueffet; Deo gratias, quam lautē vixi?

Ieiunium illi quotidianum videri poterat, tamē etiam tum singulari obedientia imperatis ab Ecclesia parebat ieiuniis, & aliquid afflictationis alterius superaddebat, inuisentes quoque ad spirituale ieiunium inuitans: vixque proxima suæ morti quatuor temporum ieiunia adduci à Confessario, ac Rectore potuit, ne se uere perageret. In huiusmodi enim rebus obedientiæ vnus permouebatur impulsu, nec nisi cunctanter. Flagellum etiam num occultissimè asseruabat: quod cū forte esset repertum, sublatumque, ægerrime id tulit: multumque, sed ne quicquam institit orans, ut redderetur. Adeo afflictandi exterioris hominis vix iam spirantis in interiore perseuerabat impla-

*Et obedientia
tenas.*

cabilis vigor: vt coniectare proclive sit quemadmodum acceperit domesticum aduersarium validum, ac robustum, qui nec prostrato quidem, ac moribundo pepercerit. In his ergo quæ dura, & odiosa veteri Adam acciderent, egebat obedientiæ fræno, perinde vt calcaribus in aridentibus atq; blandis. Ad extremum vsq; habuit in ore, nihil à Præsidibus vnquam ex propriæ inclinatione voluntatis petendum. Id quod mirum ipse in modum seruabat. Quod si quando quid velut necessitate adactus significaret, vtcunque caderet, acquiescebat in eorum, ad quos res attinebat nutu, nullo addito verbo, nullo erumpente indicio, unde suspicari liceret, non esse in omnes partes contentum. Perlucebant vbique recondita animo Christianæ humilitatis, ac submissionis decora, maximeq; in sermonis, ac vocis modo. Non modo imperiosior nulla, aut iactantior vox elabebatur vnquam ex ore illo sancto, sed identidem infimæ personabant preces, quibus ab infimo quoque, si qua eos ratione offendisset, vt sibi ignoscerent, obsecrabat: Miserabatur intimo sensu, qui suis malis aderant, socios; eosq; consolans aiebat, Fratres, ferte patienter: præmium, ac mercedem reddet

Et summa humilitatis, etq; deuotio.

reddet pro me Christus Iesus: quare ignoscatis mihi: ego quoque frater vester sum, ac preces pro vobis quotidie facio. Quibus quidem illi precibus permultum confidebant: nec immerito iis adscribere ingentia sibi à Deo tributa dona, ac nominatim vt integra semper, ac summa alacritate haud parum longo tempore eius necessitatibus inferuient. Quanquam & facilitati, qua se planè velut infantem dulcissimum tractandum eis præbebat: & modestiæ, qua quicquid opus haberet, non imperabat, non comiter saltem petebat, sed per amorem Dei, velut emendicans rogabat, illa curantium iure imputetur, & perennitas, & magnitudo alacritatis. Accedebat & opinio sanctitatis. Vni eorum, quæ prorsus abdita in animo, & arcana habebat cum Pater patefecisset, existimauit is haud temere, nec alia eum fallere. Inde quoque visus est futura prænosse. Inchoarat septembris initio volumen Sanctorum vitas ex eo tempore ad finem anni complectens, partimq; per se lectitans, partim ex Anagnoste audiens, eo pergebat animo, vt pariter cum anno volumen euolucretur. Huius consilij gnarus Anagnostes transire vitas quasdam volebat, negans alioqui præstituto

Patefacit animam arcana,

Constantiam bene capis summa,

stituto tempore librum absolui posse. At Pater negavit opus esse quicquam prætermittere, sed commodè omnia perlectum iri: atque adeo euenit, ut nulla re prætermissa, nulloq; die intermissa lectione (tam constans in recte coeptis, amansq; sanctorum erat) biduo ante eius mortem ad libri umbilicum perueniretur.

*Quia propa-
ratus se ad
mortem.*

Vbi Domini sacer aduentus adfuit, multa cū fociis collocutus de vtili præparatione ad Christum excipiendum, de morte, diuinisq; iudiciis; quanquam videbatur multo ei melius factum, valdeq; defederat tumor, aduocauit ad se valetudinario præfectum Patrem, & his verbis affatus est. Mi Pater gratias ago Deo, quod res in hunc locum deducta est: & breui futura est immutatio mea. Proinde obnixè tuam Reuerentiam precor, ut operam des, quo cuncta recte, ordineq; fiant: atq; ego comparem me; & res componam vti oportet. Inde per languoris nonnullam alternationem sancti Thomæ Apostoli peruigilium attingit. Eodìe meliuscule habens è strato surrexit, ut consuetas preces exequeretur: inclinato iam die socio adiuuante vespertinam B. Virgini psalmodiam exequutus; ut parumper solus relinqueretur, rogauit:

gavit: eaq; impetrata solitudine, aliquanto tempore perseveravit in meditatione, dulcique cum Deo congressu. Sub ea tanquam omni perfunctus officio, Nunc tandem, inquit, tempus est, ut decumbam. Dum autem vestes exuitur; repentinus pavor, ac terror incessit, & gravissimis premi ceptus angustiiis. Illico accito confessario, tum etiam Rectore Confessionem peregit, utq; coram pro se eodem loco psalmi, qui Pœnitentiæ dicuntur, & litanîæ recitarentur, oravit: tum ut solitæ preces commendandis morientium animis adiiicerentur: quo facto terror omnis, atq; horror evanuit. Vnde insolitus motus, & gravis ea perturbatio an ex horribili quapiam specie, cuiusmodi sanctis quoque viris Satan consuevit obicere; an ex naturali aliquo concussu labascentis terrestris domus coorta sit, Patres, qui cetera notauere non prodiderunt. Postridie diuinissimam Eucharistiam, quam ipsemet postulauerat, per se præfatus solennia verba, indignum se profitentis, mirabili prorsus pietate suscepit: perseveransq; deinde in complexu Domini sui gratiis agēdis, & precibus offerendis, magnopere lætatus est cum cognouit ex P. Rectore Socios quoq; Collegij pro eo precibus

Dd

bus

bus omnes insistere. A meridie Præposito sancti Nicolai Sebastiano Veronio satis multa dixit, verum inter mortuis iam vocibus, nec satis in verba formatis: solum intelligebatur, Ecclesiam illi vrbemque Friburgensem impense commendari. Hoc nempe indefatigabilem Dei operarium, constantemq; Prædicatorem decebat, vt ante vita deficeretur, quàm publicæ vtilitatis curam deponeret; & supremam vculæ morientis auram in cohortatione consumeret. Etenim subinde Præposito eidem, & aliis quibusdam, qui piè flagitabāt, bene precatus, vix quicquā præterea locutus est. Solum, si quis admoueret aurem, cum oculis, ac manibus instar sancti Martini, in cælum esset intentus, audiebatur secum immurmurans, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Et ex libello manuscripto, in quem selectas preces contulerat, lectitare cœpit præcationem de felici obitu. Nec post multo oculos in conclauis ianuam defixit, hilariorq; iucundo, & amabili vultu, eodem digitum intendens. Non videtis, inquit, non videtis? Nihil circumstantes viderunt. Nulli tamen dubium fuit, quin diuina ei species aliqua oblata esset. Adhibita deinde suprema vñctio, cum Pater

nun-

*Sanctissimo
mortuo.*

ſanquam intermitteret preces vt è labiorū mo-
tu intelligebatur, in effigiem Deiparæ fixo obtu-
tu: paulòq; poſt ſanctiſſimam Crucem ſapius re-
ligioſiſſime exoſculatus, eamq; altera manu, alte-
ra cèrcum ſacrum fulgentem ſuſtinens inter lita-
nias, quaſi placidè obdormiſcens, abſq; vlla dolo-
ris, migrationiſq; ſignificatione ſanctam animā
magno cum ſpectantium mœrore, multiſq; la-
crymis, procreatori ſuo reddidit hora poſt meri-
diem tertia cum dodrante, Apoſtolo Thomæ ſa-
cro die veſperascente. Quo die ante ſeptendecim
annos Collegij eius poſſeſſionem inierat. Beatæ
illi migrationi præſentes interſuere Præpoſitus
Sebaſtianus Veronius, Patres duo Capuccini, du-
oq; ſenatores, præter domeſticos omnes, qui fle-
xis genibus circumfuſi perſeuerabāt in precibus.
Poſt horæ ſpatium viſa demortui facies formo-
ſior, quàm ſpirantis: & in manus quoque viuus
quidam, ac roſeus color diffuſus.

*Formoſior mor-
tui ſpectus,*

Re per Ciuitatem vulgata incredibilis om-
nes Ordines dolor inceſſit: quod ſi inſtans aman-
tiſſimi Patris exceſſus enotuifſet, ægre communis
populi cōcurſus prohiberi potuiſſet. Conſilio
habito ſenatus vterq; ſacer, ac laicus, quo tantum

*Hæc habitus
ei à Fratribus
genſibus,*

thesaurum loco pro dignitate condi oporteres in templo Ciuitatis princeps, quod sancti Nicolai nomine dedicatum est, condendum decreuerant ante maximam Aram. Postero igitur die antequam eo inferretur, in domesticam ædiculam delato Patres iusta funebria peragunt. Positum erat in medio feretrum opertum, & ciuium multitudo maior, quàm pro loci angustiis, plena more confluxerat. At ubi primùm remoto velo conspecta est illa Apostoli viri augusta facies (& retinebat adhuc vegetam quandam maiestatem) tū gemitus, & lamenta, tum lacrymæ insonuere: tum certantium rosariis sacrum pignus contingere, turba perstrepere, & constipari. Quæ cum videret Præpositus Veronius differendam omnino sepulturam censebat aliquot dies, & sacrum interim pignus expositum relinquendū in summo templo, vt pietati populi tangendo, & osculando, & aliter honorando fieret satis: verum id teneri ex Collegij Rectore non potuit. Probabilem causam religiosæ adeo, iustæq; petitionis repulsæ nullam inuenio, nisi quod suspicari venit in mentem, modestiam fuisse quandam fortasse immodicam, per quam priores nostri Ordinis homi-

homines, quantum chitebantur ipsi ut sancti essent, tantum in se, suisque seu vivis, seu mortuis famam sanctitatis, & honores refugiebant. Sub horam à meridie tertiam Clero præcunte vniuerso, totaque fere Ciuitate prosequente, personantibus mœsto tinnitu cunctis campanis funus ad diui Nicolai deducitur. Ibi post psalmorum vespertinorum carmē, Sebastianus ipse Veronius in suggestum progressus luculentam magni Patris laudationem instituit. Inter cetera magnifice prædicauit tam longinquam rati viri commorationē eo loci: etiam commoda exequens, quæ Ciuitati magna, & multa peperisset præsentia, operaque sua. Secundum orationem funebriam de more alia peracta, populo ita perseuerante, ut ne tum quidem, cum exequiis persolutis iam cæcæ tenebræ ingruissent, à venerando pignore auelli possent. Tres amplius horas præpositum honoratum religioni patuit: nec expleri poterant amabilissimū os tuendo, osculando, sertis precatoriis contingendo: aiebāt etiam odorem suauissimum afflari longe alterum ab incenso thure: quod magni etiam obseruarunt viri complures. Multi digitorum vngues, & capillos præcidere: multi ad Col-

Dd 3

legium

legium iuere supplices postulatum aliquid carū rerum, quamuis abiectissimarum, quæ viuenti Patri fuissent vsui, magnaq; cum lætitia, & gratiarum actione, si possetur, recedebant; pariq; dein religione pro sacris pignoribus asseruarunt. Canonici honorem exequiarum septimo, ac trigesimo die quàm honorificentissima Cæremonia instaurarunt. Corpori ad primum gradum summi Altaris medio spatio in querna arca sito superpositum est candidum marmor quatuor Germanorum fratrum communipietate, ita inscriptum.

Monumentum
Venerandi Patris
Nostri

Petri Canisij
Societatis Jesu
Theologi

NN. Nic. Roch. Georg. Pet. Frat.
A Diesbach poss. M. D. XC. VII.

Ad

Ad latus autem vir illustis, postea Friburgensium Prætor Ioannes VVildius conspicuo in columna exornato loco ad legendi opportunitatem, hunc titulum à Veronio conditum posuit.

D O M.



Enerādus in Christo Pater Petrus Canisius Theologus Nouiomagi natus.

*Monumentum
ei positum.*

Societatem Jesu tertio à Confirmatione illius anno ingressus ac sacerdotio insignitus. Ob magni simul & placidi animi præstantiam à Coloniensi Ecclesia ad Carolū V. Imperatorē. Ab Othone Cardinali Augustano ad S. Cōcilium Tridentinum. A Carolo V. Imperatore Vormatiam cōtra Melāchtho-

thonem Hæreticum. A Pio IV. Pont. Maximo ad Principes Germaniæ in fide confirmãdos missus. Postquam Romæ, in Sicilia, ac Germaniæ Academiis docuisset. Diu apud Ferdinandum Imperatorem, & passim summa cum laude verbũ Dei prædicasset, Primus Prouincialis Societatis eiusdem in Germania ab ipso Societatis autore P. Ignatio datus fuisset, scriptisque fidem Catholicam egregie illustrasset, auspiciis R. D. Jo. Francisci Episcopi Vercellensis Nuncij Apostolici Friburgum sexagenarius venit, Collegij Societatis

Fun-

Fundamenta iecit, multa præclara
documenta dedit. Ei, quasi qui-
dam Friburgesium Patronus, Ec-
clesiæ per Heluetiam Patriarcha,
religionis Catholicæ sui temporis
columna, toto Christiano orbe
notissimus, fide, prudentia, inde-
fesso scribendi labore, abstinencia
perenni, grauitate, animi puritate,
flagrantissimo Dei amore, multa-
que sanctitate clarissimus, migra-
uit ad Christum festo sancti Tho-
mæ Apostoli, M.D.XC.VII. an-
no ætatis LXXVII.

Sepulchrum hodie inter primaria vrbis loca Sepulchrum pio-
tatis gratia
frequenter
numeratur, magnaq; pietate frequentant ciues,
inui sunt aduenæ haud sine diuinæ experimento

Ec beni-

*Quodam pte
cum famulatu
beneficia imp
petrata.*

benignitatis venerandas famuli sui reliquias honorantis. Ad exequias pia Matrona accesserat morbo comitiali obnoxia, sperans sacri corporis attactu, Beatæ animæ precibus valetudinem sibi reddendam: quæ ubi quantum licuit, coram sacro corpore orans, adstitit, eodem iam condito occultauit se, & includi passa est, cum Templi fores pcluderentur. Inde totam noctem ad beati viri sepulchrum vigil perseuerauit, per eius merita, & patrocinium valetudinem rogans. Nec deinceps vnquam eo malo tentata est. Ita primo statim die, quo terræ mandatum est famuli Dei corpus, tanquam generosum semē in salutem mortalium cœpit admirandis beneficiis reflorescere: vtagnosceres vigere, ac pollere animum: nec pristinam siue voluntatem elanguisse, siue defecisse facultatem benignè faciendi. Non multi ab sepultura intercesserant dies cum aliæ, atq; aliæ extirere fruges.

Christophorus Reiffius senatorio ex ordine prolapsus ex equo, multis inde incommodis sex-tum iam mensem grauitè conflictabatur: interdum acerbis adeo torquebatur doloribus, totos vt decumberet dies: aliàs vero, si quid negotij admini-

ministraret, ægrè animam ducere, ac recipere
posset. Medicamenta quæcunq; tentaret, omnia
eadebant in irritum. Quam ob rem vicem viri
dolens Barbara Misselonia vxor, veritaq; ne tan-
dem offensis intestinis partibus ad periculosas
veniendum sectiones esset, cum sibi Canisium
protinus ab excessu patronum in cælo cooptas-
set, ad eius tumulum adit. Hic prouoluta in ge-
nua multum ipsum rogat patronum, vt apud
Deum commendatam viri valetudinem habeat,
perq; patrociniū eiusdem ac merita ipsum ob-
testatur Deum, opem vt ægro ferat. Ab precibus
domum recta contendit. Reuertentem lætus, &
gratulabundus vir excipit, iam sedatos dolores:
iam expeditam respirandi viam, iam se penitus
valere. Nihil dubitauit prudens femina benigni-
tate id euenisse Patroni sui Canisij, vt prorsus tem-
pore eodem, dum ipsa vota faceret, vir conuales-
ceret. Ac deinde rem omnem coram testibus a-
pud Veronium eo tempore & Præpositum Fri-
burgensem, & Vicarium generalem in Diœcesi
tota Lausanensi sancte, riteq; affirmavit.

Alterum iam diem honesta Matrona difficul-
tate partus laborabat magno salutis suæ, magno

*Rosarium Can-
isij alubre
parturientibus.*

prolis discrimine. Ad eam Canisij Rosarium fertur: quod simulac exosculata de collo suspendit, in has voces erupit, Deo sit laus, quam extinctam verebar prolem, viuere sentio: & paulo post stirpem virilem salua saluam enititur. Inde coepit rosarium illud magna fide à parturientibus peti, & præsens experiuntur leuamen. Ad sanitatem animi illud beneficium pertinet.

Viduata viro femina in ætate florenti transfudit curam omnem ad pietatem: permissuq; Canisij, quo utebatur à confessionibus, perpetuam inde castimoniam Deo vouit. Sublato ex humanis Patre atq; Magistro vndiq; coepta sollicitari, ut nuptias nouas iniret. Illa constanter semel, iterum, sæpius repulit tentamenta omnia, memor fidei obligatæ Numini. Deinde partim labare, partim molestissimis vexari curis, & confici; quoad requiem nullam inuenienti succurrit ad veterem animi sui rectorem, & custodem fidissimū P. Canisium habere perfugium. Adit sepulchrum: vix conceperat preces, cum & firmata mire constantia est, & insidiosarum ille cogitationum edax tumultus confedit. Eadem & in languore corporis, cui nullam inuenerant opem medentes, & cum
 ossis

ossis fragmen intervescendum (& forte erat sola) pertinaciter hæsisset in faucibus, & suffocaret, in Canisij inuocatione præsens auxilium inuenit.

Est Friburgi vulgaris opinio, rogatum sub extrema Canisium, ut à pestifera luc, qua crebro affligi consueuerat, tutari oppidum vellet, eumque recepisse facturum: qua pollicitatione vehementer Friburgenses confidunt. Ex eo certe tempore, quamuis in proximo grassata sit, non ausam tamen in oppidū inuchi, aut palam vulgari, grati ciues commemorant. Ceterum anno seculi huius duodecimo res fertur memorabilis euenisse; quam, quia alij vulgarunt, & Friburgensis Magistratus autoritate tabulis consignatam testantur, præterire non licet. Gliscebatur, opinor, suspicio clam serpentis pestilentia. Ea se contactam sentiens Berenmanæ Matronæ nobilis famula, rogauit quasdam de famulantibus vna secum feminis, ut ad se confessionis causa sacerdotem accirent. Illæ veritatem, ne si res vulgaretur, domus tanquam pestilens notaretur, abstinendum ab ea vocatione putarunt. Egracum diu frustra expectasset, metuens ne in expiata moreretur, multa anxie versabat animo; cū memoria subit in D. Nicolai

firum factum esse (nomen non succurrebat) quæ
 periculis, & calamitatibus deprehenso inuocare
 ciues solerent: illicoq; vouet, si vita sibi maneret,
 quoad sacræ confessionis fieret compos, ad tu-
 mulum adituram, & precibus inibi perfuneturâ.
 Vix votum conceperat, cum dolor & capitis, &
 pectoris sedatur, & pestiferum vlcus euanescit.
 Surgit itaque è grabato, & ad famularia se munia
 refert inter alias ancillas: quæ cum modò mori-
 bundam, momento validam viderent, more in-
 genij humani in deterius suspicacis, irridere cœ-
 perunt, tanquam morbum ex ignavia simulaf-
 set. Sedenim & ipsam incessit dubitatio, Canisij
 nec ne opecurata esset. Hæc dubitanti ecce tibi
 præsens perfidiæ poena, idem repente vlcus exi-
 stit. Tum vero ita saucia trepidè festinat ad tem-
 plum, prostratur in preces, opem supplex im-
 plorat; eaq; fuit erga fidelem seruum suum, eiusq;
 clientes Dei clemencia, ut rursus continuo
 malum abstergeretur. Ita honoran-
 tes se Deus honorat.

F I N I S.

STNO.



S T R O P S I S
TOTIVS VITÆ P. PETRI
CANISII SOCIETATIS IESV,
A FRANCISCO SACCHINO EIVS-
DEM SOCIETATIS SACERDOTE,
tribus libris descriptæ.

L I B R I P R I M I.

C anisius ortus octavo Maij.		Gratus Deo de tradito sibi bono	
Anno M. D. XXI.		instituto, quem & alij pne-	
Noniomagi.	pag 7	ris precabatur.	16
Patre Iacobo Canisio.	8	Periclitatur à seculo.	17
Matre A Egidia Hoonuingana.	9	Nuptias & honores Ecclesiasticos	
Indolem puer habuit maxime pi-		repudiat.	18
am.	10	Virginitatem vovet anno ætatis	
Afflicta corpusculum.	ibid.	XIX.	ibid.
Imitatur Sacerdotes & Concio-		Deditus Theologia mystica.	19
natores.	11	Dininitus cognoscit se profuturum	
Prævidet peccatorum pericula.	ibi.	Ecclesie.	20
Postulat diuinum ductum.	12	Et de Societate futuram.	ibid.
Anno circiter XV. Coloniam adit.		Proficit colloquiis sacratum Vir-	
ibid.		ginum.	ibid.
Instituitur à Nicolao Eschio san-		Celebratur eloquentia & ardore	
ctissime.	13	contra Hæreticos.	21
Paupertatis amore libros in pau-		Petrum Fabrum conuenit & ad-	
peres distribuit.	15	miratur.	22
Mira caritas in magistrum.	ibid.	Exercitiis spiritualibus mire im-	
Quotidie ei conscientiam aperit.		mutatur.	24
ibid.			Socie-

SYNOPSIS.

<i>Societatem vovet Anno M. D.</i>		<i>Legatio prima Canisij Leodii.</i>	
<i>XLIII.</i>	25		38
<i>Pernor in iuvandis proximis.</i>	26	<i>Anno M. D. XLVII.</i>	39
<i>Societati gratiam Colonia conciliat.</i>	ibid.	<i>Secunda ad Carolum V.</i>	ibid.
<i>Frāncisci Strada de eo elogium.</i>	27	<i>Tertio ad Concilium primò Tridentinum.</i>	ibid.
<i>Eschium ad Societatem invitat.</i>	ibid.	<i>Deinde Bononiam.</i>	40
<i>Illi loco Cornelius Vusbanus venit.</i>	28	<i>Romam venit.</i>	ibid.
<i>Parentum salvas animas divinitus cognoscit.</i>	29	<i>Anno M. D. XLVIII.</i>	41
<i>Res suas in pauperes confert.</i>	30	<i>Singularis Canisij obedientia.</i>	ib.
<i>Ob id Faber accusatur.</i>	ibid.	<i>Destinatus in Siciliam pro Sociis Pontificem alloquitur.</i>	44
<i>Quise & Canisium egregiè defendit.</i>	31	<i>Messana docet Rhetoricam.</i>	ibid.
<i>Canisij impensa, prima Societatis domus Colonia conducitur.</i>	32	<i>Et concionatur Italicè.</i>	ibid.
<i>Petatur Senatus coniunctos degerere.</i>	ibid.	<i>Quales eius epistola essent etiam iuvenis.</i>	45
<i>Fabre epistola consolatoria ad dispersos Socios.</i>	33	<i>Religiosa vocatio commendatur.</i>	ibid.
<i>Fabre erga Coloniam in signum studium.</i>	34	<i>Destinatur in Bavariam.</i>	48
<i>Academici pro Canisio retinendo certant.</i>	35	<i>Anno M. D. XLIX.</i>	ibid.
<i>Fis Sacerdos.</i>	36	<i>Inter Professores Societatis adscribitur.</i>	49
<i>Concionatur, & literarum divinas explanat.</i>	ibid.	<i>Bononia Doctor creatur.</i>	ibid.
<i>Edis Cyrilli Alexandrini opera.</i>	ibid.	<i>Ingolsta dii Theologiam docet.</i>	ib.
<i>Et S. Leonis.</i>	ibid.	<i>Inducit Sacramentorum usum.</i>	50
<i>Monita ad eum Claudij Iaij.</i>	37	<i>In Obedientia habet omnia.</i>	51
		<i>Multipli industria pietatem excolit.</i>	52
		<i>Germanicè simul concionatur.</i>	ib.
		<i>Precum morem inducit.</i>	53
		<i>Obtrektorè caritate vincit.</i>	54
		<i>Omnia pro Religione molitur.</i>	55

Acade-

SYNOPSIS.

<i>Academia fit Rector.</i>	56	<i>Quantum certatum ut fieret E-</i>	
<i>Optimeq; munus gerit.</i>	ibid.	<i>piscopus.</i>	79
<i>Stipendium repudiat.</i>	59	<i>Quam ille formidaret sacros ho-</i>	
<i>Procancelariatum recusat. ibid.</i>		<i>nores.</i>	80
<i>Expeditur multas in oras.</i>	60	<i>B. Ignatij constantia in arcendis</i>	
<i>Anno M. D. LII.</i>	61	<i>à Societate honoribus.</i>	81
<i>Viennam mittitur.</i>	62	<i>Noua certamina de Episcopatu</i>	
<i>Ingolstadiana Academia elogium</i>		<i>Canisij.</i>	82
<i>de eo.</i>	63	<i>Iulij III. Pontificis in Societatem</i>	
<i>Laborat seculum inopia libro-</i>		<i>benignitas.</i>	ibid.
<i>rum incorruptorum.</i>	64	<i>Nouum & maximam certamen</i>	
<i>Catechismū Canisius iubetur scri-</i>		<i>de Episcopatu Canisij.</i>	84
<i>bere.</i>	65	<i>Anno M. D. LIV.</i>	85
<i>Plurimis occupationibus onera-</i>		<i>Praeficitur Collegio Archiducum.</i>	
<i>tur. ibid.</i>		<i>ibid.</i>	
<i>Aliquos mirabiliter curat.</i>	66	<i>Miro desiderio religiosi claustri.</i>	
<i>Magnos peccatores conuertit.</i>	69		80
<i>Excurrit ad rusticos.</i>	70	<i>Creatur Decanus Academia Viē-</i>	
<i>Anno M. D. LIII.</i>	ibid.	<i>nensis.</i>	ibid.
<i>Austriam peragrat euāgelizans.</i>		<i>Impetrat perpetuas à tota Socie-</i>	
71		<i>tate preces pro Germania.</i>	87
<i>Fit regius Concionator.</i>	ibid.	<i>Catechismum absoluit.</i>	88
<i>Eodem die & ad Regem & ad Po-</i>		<i>Qua cura usus in eo condendo.</i>	89
<i>pulum dicit.</i>	72	<i>Qua solitudine ediderit.</i>	90
<i>Indulgentiis auctoritatem resti-</i>		<i>Quare nomen suum primò nom</i>	
<i>tuit.</i>	73	<i>apposuerit.</i>	92
<i>Obrudatur ei Viennensis Episco-</i>		<i>Quam probatus & latè sparsus</i>	
<i>patus.</i>	74	<i>sit.</i>	ibid.
<i>Oratio qua Episcopatum recusat.</i>		<i>Elaborata editio Catechismi qua-</i>	
76		<i>nam.</i>	93
<i>Oratio qua urgetur ad accipien-</i>		<i>Canisius terrori Hæreticis.</i>	93
<i>dum Episcopatum.</i>	78	<i>Canis Austriacus vocatur.</i>	ibid.

Ff

Eius

SYNOPSIS.

[illegible]

Designa

SYNOPSIS.

<i>Designatur inter Colloquutores</i>		<i>Res Colonia gesta.</i>	<i>ibid.</i>
<i>VVormaticenses.</i>	122	<i>Anno M.D. LVIII.</i>	138
<i>Epistola Ferdinādi Regis ad Lai-</i>		<i>Argentoratensem Episcopū con-</i>	
<i>niam.</i>	<i>ibid.</i>	<i>uenit.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Vt Canisius & Gandanus Collo-</i>		<i>Multa bene gerit.</i>	<i>ibid.</i>
<i>quio VVormaticensi intersint.</i>		<i>Friburgum Brisgoia vifit, & a-</i>	
123		<i>lias nobiles ciuitates.</i>	139
<i>Canisij multiplex Ratiū bona la-</i>		<i>Consolationibus celestibus inter</i>	
<i>bor.</i>	124	<i>arumnas recreatur.</i>	140
<i>Venit Romam.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Donatur insignibus Sanctorum</i>	
<i>Redit in Germaniam.</i>	125	<i>Reliquiis.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Fidit precibus Societatis.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Custos acerrimus paupertatis.</i>	141
<i>Agit de Collegio Monachij insti-</i>		<i>Cardinalis Augustani mira in eū</i>	
<i>tuendo.</i>	126	<i>pietas.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Præsentis diuinitus eius bonum</i>		<i>Modestia Canisij & cura adifica-</i>	
<i>successum.</i>	<i>ibid.</i>	<i>tionis.</i>	142
<i>VVormatiam adit.</i>	127	<i>Excelsitas animi & Martyrii cu-</i>	
<i>Concionatur.</i>	128	<i>piditas.</i>	143
<i>Enixè pro Religione desudat. ib.</i>		<i>Ferdinandum Regem, qui mox</i>	
<i>Colloquium inchoatur.</i>	130	<i>lectus Imperator, consolatur.</i>	
<i>Hæretici inter se dissident. ibid.</i>		<i>ibid.</i>	
<i>Vitio eorum Colloquium abrum-</i>		<i>Straubinga rem Catholicam su-</i>	
<i>pitur.</i>	131	<i>stinet.</i>	144
<i>Bona inde profecta.</i>	132	<i>Romam venit ad creandum Pra-</i>	
<i>Quare Colloquia talia Religioni</i>		<i>positum Generalem.</i>	146
<i>inutilia.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Orator Comitiorū deligitur.</i>	147
<i>Canisio prima laus ex eo Collo-</i>		<i>In Poloniam à Pōtifice mittitur.</i>	
<i>quio.</i>	133	148	
<i>Hæreticorum de eo fabula dua. ib.</i>		<i>Comes additur ei Theodoricus</i>	
<i>Hæreticorum scurrilitas dira &</i>		<i>Amsterodamensis.</i>	<i>ibid.</i>
<i>impia.</i>	135	<i>Canisius B. Ignaty Exercitia plu-</i>	
<i>Canisius Coloniam excurrit.</i>	136	<i>rimi facit.</i>	<i>ibid.</i>

SYNOPSIS.

<i>Insignis eius obedientia.</i>	149	<i>Deligitur ordinarius Augustæ</i>	
<i>Moritur Theodoricus Viēna.</i>	150	<i>concinator.</i>	162
<i>Res in Polonia à Canisio gesta. ib.</i>		<i>Canonicorum Augustanorum li-</i>	
<i>Amat religiosam indolem Polo-</i>		<i>tera de eare.</i>	163
<i>morum.</i>	151	<i>Quæ esset opinio de Canisio.</i>	165
<i>Zelus animarum.</i>	152	<i>Eius modestia.</i>	ibid.
<i>Precandi Dei industria.</i>	ibid.	<i>Propensio ad scribendum contra</i>	
<i>Hosij libros edit.</i>	153	<i>Hæreticos.</i>	166
<i>Archiepiscopi Gnesnensis de So-</i>		<i>Quam viam in hoc sequi vellet.</i>	
<i>cietate opinio.</i>	ibid.	ibid.	
<i>Anno M. D. LIX.</i>	154	<i>Inbetur & stylo & voce rem ge-</i>	
<i>Paupertas beata Canisij.</i>	155	<i>rere.</i>	167
<i>Zelus animarum: & in Polonos</i>		<i>Hosij Opera ad prælum cōcinnat.</i>	
<i>caritas.</i>	ibid.	ibid.	
<i>Redit Pragm.</i>	156	<i>Et quadā Germanicè vertit.</i>	168
<i>Adit Augustanū conventum. ib.</i>		<i>Inchoat Augustæ ordinarias con-</i>	
<i>Hæreticus pro odio & maledictū</i>		<i>ciones.</i>	ibid.
<i>caritatem ac preces rependit.</i>	157	<i>Multiplex eius labor.</i>	ibid.
<i>Dicitur ab iis Sectæ Iesuitarū ca-</i>		<i>Anno M. D. LX.</i>	ibid.
<i>put.</i>	ibid.	<i>Bonus Augustæ successus.</i>	ibid.
<i>Impudentia & inscitia Hæretico-</i>		<i>Mittitur in Austriam.</i>	169
<i>rum.</i>	158	<i>Res domesticas componit.</i>	170
<i>Dissidia Christianorum Principū</i>		<i>Expetitur ab Electoribus Mogū-</i>	
<i>Religioni noxia.</i>	ibid.	<i>tino ac Treuirense.</i>	ibid.
<i>Precandi studium Canisij.</i>	159	<i>Redit Augustam, & Bauaricæ re-</i>	
<i>Eiusdē labores in Augustano con-</i>		<i>uisit Collegia.</i>	171
<i>uentu.</i>	ibid.	<i>Anno M. D. LXI.</i>	ibid.
<i>Pauperibus Scholasticis subvenit.</i>	161	<i>Insignis Augustæ ad pietatē pro-</i>	
<i>Ac multis modis pro animis oc-</i>		<i>fectus.</i>	ibid.
<i>cupatur.</i>	ibid.	<i>Vrsula & Sibylla Fuggerorū præ-</i>	
		<i>stans virtus.</i>	ibid.
			<i>Sibylla</i>

SYNOPSIS.

<i>Sybilla mira ad Catholicos con-</i>			<i>ibid.</i>
<i>uersio.</i>	172	<i>Indulgentias in meritam existi-</i>	
<i>Reflorescit Augusta religio.</i>	174	<i>mationē Augustareponit.</i>	187
<i>Ratio concionandi Canisij.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Contendunt Canonici ne ad Con-</i>	
<i>Hæreticorum Ministri fatentur</i>		<i>cilium auocetur.</i>	<i>ibid.</i>
<i>eius præstantiam.</i>	175	<i>Anno M. D. LXII.</i>	189
<i>Vexant reuersos ad sanctam Ec-</i>		<i>Cardinalis Augustani litera.</i>	
<i>clesiam.</i>	176	<i>Quomodo ad Concilium Cani-</i>	
<i>Canisij indefessæ industria.</i>	<i>ibid.</i>	<i>sus vocandus.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Eupertatem Scholasticorū sub-</i>		<i>Interest reformationi Ingolsta-</i>	
<i>leuat.</i>	177	<i>diana Academia.</i>	190
<i>Reuocat ieiunij morem.</i>	178	<i>Quotidianarū cōcionum morem</i>	
<i>Edit libellum precatorium.</i>	179	<i>Augusta inducit.</i>	191
<i>Paruum catechismum.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Qua præparatione cōcionaretur.</i>	
<i>Selectas epistolas S. Hieronymi.</i>		<i>ibid.</i>	
<i>ibid.</i>		<i>Engens ex eius laboribus anima-</i>	
<i>Excitat doctos ad scribēdum.</i>	180	<i>rum fructus.</i>	192
<i>Et Typographos ad pios libros e-</i>		<i>Ad Concilium aduocatur.</i>	<i>ibid.</i>
<i>dendos.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Aductu suo Cardinalem Hosium</i>	
<i>Promouet & per literas religio-</i>		<i>sanat.</i>	193
<i>nem.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Occupationes eius in Concilio.</i>	
<i>Etiā de Gallia sollicitus.</i>	181	<i>ibid.</i>	
<i>Excitatur Augusta Virginitas.</i>		<i>Modestia & humilitas.</i>	194
<i>ibid.</i>		<i>Repetitur ab Augustanis.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Gratulationes de Augustano pro-</i>		<i>Nobilem Anabaptistam conuer-</i>	
<i>fectu.</i>	182	<i>tit.</i>	195
<i>Pontifici de eo latitia.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Modestia & Caritatis ad conuer-</i>	
<i>Litera quibus Canisio gratula-</i>		<i>sionem efficacia.</i>	<i>ibid.</i>
<i>tur.</i>	183	<i>Anno M. D. LXIII.</i>	196
<i>Canisij responsio.</i>	184	<i>Grauißima in causa Reipublica</i>	
<i>Lustrat suam Prouinciam.</i>	186	<i>succurrit.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Elnangam conatur hæresi expur-</i>		<i>Modestia Canisij.</i>	197

SYNOPSIS.

<i>Hæreticorum fraus in sacri Calicis usu vulgando.</i>	198	<i>Dilinganos Socios consolatur. ib.</i>	
<i>Canisij constantia.</i>	199	<i>Difficile conciliantur Ordinarij</i>	
<i>Zelus.</i>	ibid.	<i>Concionatorum & Provincialium officia.</i>	ibid.
<i>Fides.</i>	ibid.	<i>Zelus Canisij & animi magnitudo.</i>	209
<i>Hæreticorum in eum & Societatem probra.</i>	200	<i>Exercetur eius patientia & mansuetudo.</i>	ibid.
<i>Optima ratio refutandi calumnias.</i>	201	<i>Littera Pontificis ad Canonicos Augustanos.</i>	211
<i>Canisius Remotio respondet. ib.</i>		<i>Commendat eis Societatem ac nominatim Canisium.</i>	212
<i>Additamenta eius laborum Obnippi.</i>	ibid.	<i>Concordia redintegratur.</i>	213
<i>Suaviorem euangelizans perlustrat.</i>	202	<i>Profectio fidei in Academiis Canisij studio inducitur.</i>	214
<i>Nobilem matronam Catholicam restituit.</i>	ibid.	<i>Excurret Herbipolim.</i>	216
<i>Maleficarum ex hæresi prouentus.</i>	203	<i>Nimium sibi asper.</i>	ibid.
<i>Sacrilegi militis pœna.</i>	204	<i>Modestia eius.</i>	ibid.
<i>Dilingana Academia Societati traditur.</i>	205	<i>Anno M.D.LXV.</i>	217
<i>Cardinalis Augustani de Canisio nobile testimonium.</i>	ibid.	<i>Obedientia.</i>	ibid.
<i>Diuiditur Prouincia in duas.</i>	206	<i>Littera Cardinalis Augustani.</i>	ibid.
<i>Canisius VVisenhornium excolit.</i>	ibid.	<i>Quam necessaria Germania Canisij presentia.</i>	218
<i>Instaurat Augusta supplicationes publicas.</i>	207	<i>Romam venit ad creandam Generalem.</i>	219
<i>Constantia pestilentia tempore.</i>	ibid.	<i>Mittitur à Pio IV. ad Ecclesias Germaniæ.</i>	220
<i>Anno M.D.LXIV.</i>	208	<i>Notiomagum renisit.</i>	221
		<i>Quam multa breui, quanto exemplo ibi gesta.</i>	ibid.
		<i>Ofnaburgum adit.</i>	222

Anno

SYNOPSIS.

<i>Anno M.D.LXVI.</i>	224	<i>Studium profectus.</i>	240
<i>Et Ducem Iuliacensem.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Anno M.D.LXVII.</i>	241
<i>Colonia multa proprietate gerit.</i>		<i>Consionatur Herbipoli.</i>	<i>ibid.</i>
<i>ibid.</i>		<i>Et multa gerit praclara.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Nuntiat P. Generali suam peregrinationem.</i>	226	<i>Augustanam synodum egregie innuat.</i>	242
<i>Modestia Canisij.</i>	227	<i>Mittitur à Pötifico ad Episcopos.</i>	
<i>Heretici Episcopatus innadunt: unde Religionis exitium.</i>	<i>ibid.</i>	243	
<i>Solicitudo Canisij de Comitibus Augustanis mirè opportuna.</i>	228	<i>B. Stanislaum excipit, & Romam mittit.</i>	244
<i>Eius submissio ac modestia.</i>	229	<i>Lubetur scribere cōtra Centurias Hæreticorum.</i>	245
<i>Augusta plurimum, & maximo fructu laborat.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Recognoscit versionem Romani Catechismi.</i>	246
<i>Perniciosa Hæretici Catholicis tentant.</i>	230	<i>Quo animo & apparatu ad scribendum accesserit.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Periculum graue dissidij in Comitibus Augustanis.</i>	231	<i>Nempe humilitate & precibus.</i>	
<i>Canisij industria & Sociorum tollitur.</i>	232	247	
<i>Et Concilium Tridentinum à Catholicis recipitur.</i>	235	<i>Datur ei Vicarius Hoffans.</i>	248
<i>Modestia Canisij.</i>	236	<i>Mittitur O Enipontum.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Et studium profectus.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Liberatur diuinitus ingenti periculo.</i>	249
<i>Liberatur concione Augustana.</i>	237	<i>Singularis animi tranquillitas in discrimine ultimo.</i>	250
<i>Percurrit Sueniam.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Anno M.D.LXVIII.</i>	253
<i>Vldaricum ab Helffenstain ad cōversionem præparat.</i>	238	<i>Elyangam excollit.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Conuertit maleficas duas.</i>	239	<i>Obedientia.</i>	254
<i>In Franconiam abit.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Cardinalis Augustani virtus.</i>	
		<i>ibid.</i>	
		<i>Herbipolim excurrit.</i>	255
		<i>Legitur primus Provincia procurator.</i>	256

Ancona

SYNOPSIS.

Ancona lumine diuino illustratur. 257

Humilitas solida. ibid.

Roma res Septentrionales innat apud Pontificem. 259

B. Stanislaus occasione exhortationis Canisij pradicat suum obitum. 260

Canisius redit in Germaniam. 261

Anno M. D. LXIX. ibid.

Concionatur Augusta. ibid.

LIBRI TERTII.

Modestia & alacritas in Pro-
nunciatu ponendo. 262

Cura sui profectus. 263

Obedientia humilis. ibid.

Laudatur à Preposito Borgia. 264

Humilitas Canisij. 265

Obedientia. ibid.

Studium puerilis catechesos. 266

Excurrit ad pacem cõciliandam.

267

Obedientia simplex ac prompta.

268

Energumenam liberat. 269

Nõ probat nostros homines mul-
tum occupari cum Energume-
nis. 270

Libertas in admonendo. 272

Anno M. D. LXXI. 273

Edit Opus de S. Ioãne Baptista. ib.

Quod consilium in hoc opere, &
quam viam secutus sit. 274

Modestia. 276

Censores expetit liberos. 277

Obedientia & humilitas. ibid.

Probaturn magnoperè opus. 278

Confessio pulcherrima Operi præ-
fixa. 279

Obedientia exacta. 282

Et fortis. 283

Anno M. D. LXXII. 285

Terramotus ingentes OEnipon-
ti. ibid.

Anno M. D. LXXIII. 286

Magnificat Canisius à Gregorio
XIII. ibid.

Eius iussu legationem obit. ibid.

Et in Urbem venit. ibid.

Suadet Collegium Germanicum
Romæ fundandum. ibid.

Et alia similia in Prouinciis. 287

Comitiorum Societatis Custos le-
gitur. ibid.

Observat sancta Urbis pia opera.
288

Redit in Germaniam. ibid.

Anno M. D. LXXIV. ibid.

Anno M. D. LXXV. ibid.

Anno M. D. LXXVI. ibid.

Anno M. D. LXXVII. 289

Marianum Opus edit. ibid.

Modestia & paupertas. ibid.

Hofij

SYNOPSIS.

<i>Hofij de Opere Mariano indicij.</i>	<i>Friburgensium in eundem car-</i>
290	<i>tas.</i> <i>ibid.</i>
<i>Anno M.D. LXXVIII. ibid.</i>	<i>Concionatur: & Collegjres adox-</i>
<i>Anno M.D. LXXIX. ibid.</i>	<i>nat.</i> 307
<i>Indifferentia & Obedientia pra-</i>	<i>Anno M.D. LXXXI. ibid.</i>
<i>clara.</i> 291	<i>Anno M.D. LXXXII. ibid.</i>
<i>Liberatur scribendi munere.</i> 293	<i>Humilitas eius.</i> <i>ibid.</i>
<i>Obedientia excellens.</i> 294	<i>Autoritas apud Friburgenses.</i> 308
<i>Concionatur Guilielmo Principi</i>	<i>Anno M.D. LXXXIII. 309</i>
<i>Bauaro.</i> 295	<i>S. Cardinali Berromaeo cum ma-</i>
<i>Laus Guilielmi.</i> <i>ibid.</i>	<i>gnificat.</i> <i>ibid.</i>
<i>Obedientia fortis & simplex.</i> 296	<i>Scriptis & Rempublicam & So-</i>
<i>Aula Religiosos viros non decet.</i>	<i>cietatem iuvat.</i> <i>ibid.</i>
297	<i>Caritas eius in Aduersarios.</i> 310
<i>Aulas Canisius quàm fugeret.</i> 300	<i>Anno M.D. LXXXV. ibid.</i>
<i>Et uellet à Societate uisari.</i> <i>ibid.</i>	<i>Friburgensium in eum Caritas &</i>
<i>Mittitur ad Comitem de Fürst-</i>	<i>Veneratio.</i> <i>ibid.</i>
<i>berg.</i> 301	<i>Austerus nimium sibi.</i> 311
<i>Explicat se ab Aula.</i> 302	<i>Scribit Notas in Euangelia Mis-</i>
<i>Landatur ab Euerhardo Proposi-</i>	<i>sarum per totum annum.</i> 312
<i>to Generali.</i> 303	<i>Et alia opuscula.</i> <i>ibid.</i>
<i>Anno M.D. LXXX. ibid.</i>	<i>Et Epistolas ad Collegia ab se con-</i>
<i>Friburgum Helueticorū mittitur.</i>	<i>dita.</i> 313
<i>ibid.</i>	<i>Ad Pragenses.</i> 314
<i>Francisci Bonhomij virtus.</i> 304	<i>Ad Monachienses.</i> 315
<i>Calumnia Societatis apud Fri-</i>	<i>Ad Oenipontanos.</i> 318
<i>burgenses.</i> 305	<i>Ad Friburgenses.</i> 319
<i>Militum Christi militia perpe-</i>	<i>Franciscus Bonhomius laudatur.</i>
<i>tua.</i> 306	321
<i>Hæreticorum in Bonhomium &</i>	<i>Virtutes Canisij.</i> 323
<i>Canisium petulantia.</i> <i>ibid.</i>	<i>Perfecta in illo Euangelici Pro-</i>
<i>Bonhomij de Canisio testimonij.</i>	<i>curatoris forma.</i> <i>ibid.</i>
<i>ibid.</i>	

SYNOPSIS.

<i>Doctrina eius rara.</i>	324	<i>Simplicitatis persudiosus.</i>	340
<i>Eloquentia magnifica.</i>	ibid.	<i>Societatem quantifaceret.</i>	342
<i>Nota vera Eloquentia Concionatoria.</i>	325	<i>Constātia intuendo Instituta.</i>	ib.
<i>Accuratio in condendis libris.</i>	ibid.	<i>Gaudium ex Societatis prospero cursu.</i>	343
<i>Haud minor in vita sue institutione.</i>	326	<i>Orationis studium in Canisio quātum.</i>	345
<i>Prudentia.</i>	ibid.	<i>Necessitatem orationis considerabat ad lucra animarum.</i>	ib.
<i>Patientia laborum.</i>	ibid.	<i>Imitabatur Apostolos.</i>	ibid.
<i>Temporis parsimonia.</i>	ibid.	<i>Et P. Petrum Fabrum.</i>	346
<i>Occupationes plurima.</i>	ibid.	<i>Pulchra orandi ratio in itineribus.</i>	ibid.
<i>Figura corporis quæ.</i>	ibid.	<i>Tota ei vita oratio.</i>	347
<i>Pudicitia illibata.</i>	327	<i>Præclare cum actione orationem miscet.</i>	348
<i>Vita durities.</i>	ibid.	<i>Optimus Magister ad meditationem preces accommodandi.</i>	349
<i>Modestia exterior.</i>	328	<i>Solertissimus in emendandis aliorum precibus.</i>	350
<i>Lingua moderatio.</i>	ibid.	<i>Profectus assidui studium.</i>	351
<i>Candidus animus.</i>	ibid.	<i>Largeissimus in precatōne pro aliis.</i>	352
<i>Ingenua benignitas.</i>	329	<i>In senectā adauget studium precandi.</i>	353
<i>Mansuetudo.</i>	ibid.	<i>Zelus diuinæ gloriæ & animarū.</i>	354
<i>Virtutes quatuor in Canisio eminent.</i>	332	<i>Cupiditas Martyrij.</i>	355
<i>Prima Humilitas.</i>	ibid.	<i>Precatō ardens, & quadam colluctatio cum Deo.</i>	357
<i>Secunda Obedientia.</i>	334	<i>Librorum humorum inopiam solertissime subleuat.</i>	359
<i>Ecclesia iussu.</i>	ibid.		
<i>Pontificibus summis.</i>	ibid. & 335		
<i>Minoribus etiam Præsidibus.</i>	ib.		
<i>In gubernatione Prouincia.</i>	336		
<i>Formula pulcherrima quibus Obedientiam suam significat.</i>	337		
<i>Obedientia wedig. perfectā.</i>	338		
<i>Observantia erga Præpositos.</i>	339		

Optabat

SYNOPSIS.

<i>Optabat in Societate designari</i>		<i>corrogat.</i>	<i>ibid.</i>
<i>qui scriberent contra Hæreticos.</i>	361	<i>Inuisentibus recta tradit monita.</i>	
<i>Qua industria inopiam Operariorum Evangelicorum leuaret.</i>	364		382
<i>Inuat Collegij Romani inopiam.</i>	366	<i>Miseretur alienorum malorum.</i>	
<i>Societati putabat præcipua cura iunandum Septentrionem.</i>	367		383
<i>Quantum Societatem illustraret, ac propagaret.</i>	369	<i>Sua æquissimo animo tolerat.</i>	384
<i>Ultima eius Concio.</i>	371	<i>Cibi mira parcitas.</i>	385
<i>Mirabiliter opem fert etiamnum viuus absenti.</i>	372	<i>Anicula ei videtur diuinitus præbita.</i>	386
<i>Difficillima litis exitum bonum subito impetrat.</i>	373	<i>Vsq. ad mortem sibi immitis.</i>	387
<i>Punitur homo parum obediens.</i>	374	<i>Et Obedientia tenax.</i>	388
<i>Quomodo se Canisius ad mortem compararit.</i>	<i>ibid.</i>	<i>Et summa humilitatis atq. lenitatis.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Litera quibus supremam à P. Generali benedictionem precatur.</i>	376	<i>Patefacit animorum arcana.</i>	389
<i>Responsio P. Generalis.</i>	378	<i>Constancia in bene captis summa.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Qua lingua custodia ultimis mensibus uteretur Canisius.</i>	379	<i>Cura præparandi se ad mortem.</i>	
<i>Zelum communis boni ad ultimum conseruauit.</i>	380		390
<i>Totus in orationes effunditur.</i>	381	<i>Sanctissime moritur.</i>	392
<i>Et aliorum preces nunc maxime</i>		<i>Formosior mortis species.</i>	393
		<i>Honos habitus ei à Friburgensibus.</i>	<i>ibid.</i>
		<i>Monumentum ei positum.</i>	397
		<i>Sepulcrum pietatis gratia visitatur.</i>	399
		<i>Quadam per eum sanitatum beneficicia impetrata.</i>	400
		<i>Rosarium Canisij salubre parturientibus.</i>	402

FINIS.





